



W. 50580.

Liber Biblioth. Gießenæ veteris
Reposit. *G.* Num. 133.

26. 9. 78



Orat
Orat
Hui
De
Lob
Lob
E
Ps
E
i

Oratio de Myconio.
Oratio de Heerbrando.
Hünnius Hassorum.
Deut: 34. de Mose.
Iohan: 4.
Iob: 19.
Ezech: 37. N.
Psal: 90.
Esa: 56.
i, Timoth: 2.

Esa: 56.
Psal: 77.
Esa: 26. N.
Iacob: 4.
Rom: 14.
Psal: 92.
Philip: 1.
Iohan: 10.
Num: 20. de Aarone.
Psal: 37.

23

24

25

26

27


28

29

30

31

32



ORATIO

DE FRIDE

RICO MYCONIO

THEOLOGO CON.

stantissimo, & primo Thu-
ringorum Euangeli-
sta, &c.

HABITA VINARIAE

Ab

ANTONIO PROBO,

S. Theologiae Doctore, Pa-
store, & Superintendente
generali,

M. D. XCVI.

XXI. Maij.

SMALCALDIAE,

1 5 9 7.

GR. BISS. LIB.
BIBLIOTHEK

W 50580



EFFIGIES D. FRIDERICI MYCONII



24049243

REVERENDIS CLA-
RISSIMIS ET DOCTISSIMIS
Viris, D. IOhanni VVolferamo, Pastori
Ecclesiæ Gothanæ, & reliquarum in eadem diœcesi Su-
perintendenti vigilantissimo: Symmiltis etiam eius in ea-
dem Ecclesia Euangelium Iesu Christi purè & incorruptè
docentibus: nec non cæteris Pastoribus prouinciali-
bus, singulis & vniuersis, ad επισκοπήν Go-
thanam pertinentibus:

Dominis, amicis, & fratribus in Chri-
sto plurimum colendis,
S. P. D.

HVCVNDISSIMA EX TAT
*Historia apud Lucam Euangelistam, Luce 10.
quomodo Christus Saluator noster, a-
nimaduertens miseram plebeculam in Iudæa &
Galilæa magno audiendi Euangelii desiderio fla-
grare, præter duodecim Apostolos etiam septua-
ginta discipulos delegerit, quos binos miserit, at-
que Euangelium prædicare miraculaq; edere
iusserit. Magnus enim ille hominum numerus,
tanquam messis matura, per Euangelii prædica-
tionem*

Phil. 2.

Matth. 9.

Luce 10.

Prou. 29.

v. 18.

tionem in horreum cæleste colligendus erat, sed magna erat fidelium operariorum penuria, qui vero Zelo arderent, & solius Dei gloriam atq; Ecclesie salutem quærerent. Pharisei & Scriba auertebant suis corruptelis homines a regno cælorum, & quæ sua sunt quærebant, non quæ sunt Iesu Christi, ideoq; non pro operariis fidelibus haberi poterant, sed pro lupis rapacissimis, mercenariis turpissimis. In hac luctuosa Ecclesie facie, crepantibus presidibus Synagogarum, nihil aliud quam suas suorumq; maiorum & seniorum traditiunculas humanitatis excogitatas atq; inuentas, & dominantibus in omnibus Cathedris & pulpitis variis superstitionibus, commiseratione motus Princeps Pastorum Iesus, hortatur discipulos ad orationem: Rogate, inquit, Dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Sicut enim ouibus opus est pastore, agricolis messoribus in frumentorum collectione: ita omnino Ecclesie necessarium est ministerium prædicandi Euangelii. Vbi enim non est prophetia, dissipatur populus, hoc est, iuxta verbum Hebræum

um פֶּרַע para, deficit, rebellat, retrocedit, nutat,
relabitur in impietatem & scelera, & magna se-
quitur vite dissolutio.

Reuersis autem discipulis, & cum gaudio
pradicantibus successum Euangelii, ipse etiam
Dominus impulsu Spiritus magna letitiā spiri-
tuali in animo suo fuit perfusus, gratias agens
Deo patri cœlesti: Confiteor, inquit, tibi pater, Matth. 11.
Lucæ 10.
Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sa-
pientibus & prudentibus, & reuelasti ea paru-
lis. Deus enim fiduciam propriæ sapientiæ, &
mysteriorum suorum contemptum ferre non po-
test: Non multi sapientes secundum carnem, in-
quit Apostolus, non multi potentes, non multi no-
biles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut 1. Cor. 1.
confundat sapientes, & infirma mundi elegit
Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi
& contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt,
ut ea quæ aliquid sunt, obliteraret.

Deinde, seorsim conuersus ad discipulos ait:
Beati oculi, qui vident quæ vos videtis. Dico e-
nim vobis, quod multi Propheta & Reges volue-

runt videre quæ vos videtis, & non viderunt,
& audire, quæ auditis, & non audierunt. Præ-
dicat his verbis Dominus felicitatem Apostolo-
rum & Discipulorum, quod Messiam etiam o-
culis corporalibus viderint, & conciones eius cō-
solationis plenissimas audiuerint.

Viderunt autem Apostoli, & multi alii pii
ac verè credentes, Christum in terris duplici mo-
do, corporali seu externo, deinde spiritali seu in-
terno, per fidem. Corporaliter viderunt Chri-
stum ad Iordanem in Baptismo, in monte Tha-
bor in transfiguratione, audiuerunt ex viuo eius
ore verba vitæ, sapientiam illam abscondi-
tam, quam è sinu patris attulit. Quin ipsum
etiam manibus contrectauerunt, cum ipso ede-
runt & biberunt. Quod fuit ab initio, inquit
Apostolus & Euangelista Iohannes, quod au-
diuimus, quod vidimus oculis nostris, quod per-
speximus, & manus nostra contrectauerunt,
&c.

Nec tantum Discipuli corporaliter vide-
runt Christum, sicut summi Pontifices, Han-
nas,

nas, Caiphas, Pharisei, Scribae, Pilatus, Herodes, sed accessit etiam visio interna, facta oculis fidei, quomodo de discipulis dicitur: Et crediderunt in eum Discipuli eius. In scriptis Lutheri aliquoties fit mentio Petri, quod post ascensionem Domini tam crebras effuderit lacrymas, ut oculos lacrymis corrosos linteolo semper detergere solitus sit. Interrogatus, cur ita fleret, & oculos laderet, respondit: Se non posse à lacrymis sibi temperare, quoties recordetur suauissima illius conuersationis cum Christo.

Spiritualiter sine interna visione Apostoli viderunt Christum, hoc est, certissime crediderunt, ipsum esse Dei viuentis filium, & mundo promissum Messiam, siue Agnum Dei, qui tollat peccata mundi. Quae visio facta in fide, omnium summa & maxima est, sine qua saluari nemo potest, cuius exemplum habemus illustre in Simone, cupiente dimitti in pace: Quia, inquit, viderunt oculi mei salutare tuum. Et de qua Dominus: Beati qui non vident, & tamen credunt.

Hoc

Ioha. 8.

Hoc modo, spirituali nimirum, sancti etiam patres Prophetæ & Reges pii, etsi hac Apostolorum felicitate corporaliter Christum videntium, seu intuitiva notitia fruendi caruerunt, ipsum Dominum viderunt, & hac visione abstractiva saluati sunt, id quod testantur verba Christi: Abraham pater vester exultauit, ut videret diem meum, & vidit, & gaudens est. Atq; ita sancti Patres crediderunt in Christum exhibendum, Apostoli et nos in exhibitum. Quàm verò ardens fuerit desiderium Patrum videndi Christum, ex compluribus Psalmorum testimoniis patet. Psal. 14. Quis dabit ex Sion salutare Israel? Psal. 102. Tu exurgens Domine, misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Psal. 144. Domine inclina cælos tuos, & descende, tange montes, & fumigabunt. Isa. 45. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Isaia 64. Utinam dirumperes cælos & descenderes. Quæ duo posteriora Isaia testimonia, etsi sunt verba ^{mirandæ} populi Iudaici in captiuitate Babylonica, quibus
petit

petit liberationem ex captiuitate, non tamen incongruè Ecclesia ad incarnationem filii Dei accommodauit, quasi sit petitio, vt mittatur promissus Messias in carnem. Et de Augustino proditum est, quod tria videre optauerit: Romam triumphantem, Paulum concionantem, Christum in Carne. Intellexit enim vir sanctus, quod omnis notitia abstractiua in bonis & expetibilibus rebus exuscitet appetitionem, notitiæ intuitiua.

Hæc historica narratio de Apostolorum prerogatiua, suppeditat omnibus verè piis & credentibus valdè illustrem consolationem, quod ipsis etiamnum hodie illuxit tempus acceptum & 2. Cor. 6. dies salutis, quo Christus, Sol iustitiæ, obscuratus falsis & idolatricis cultibus & traditionibus humanis, iterum hoc seculo totum Christianorum orbem illuminauit, discussis tenebris & nebulis Papisticis, & restaurata puriore Euangelii doctrina. Notum enim est, quàm varia sectæ sub Papatu fuerint exorte, quàm infinite superstitiones & abusus emerferint, extincta paulatim

B clara

clara Euangelii luce, & regnante prodigiosa
Scholasticorum & Monachorum sophistica, ubi
sexcenta ferme γλαυκώματα hominum animis sunt
obiecta, & excogitati mille Mediatores, mille
opitulatores ac Salvatores, & mille via salutis,
perinde ut sub Ethnicismo quot Philosophi fue-
runt, tot fuerunt opiniones de beatitudine: quot
oppida, tot Dii.

Summus ergò millies, imò infinities beatiore
omnibus gentib9 & Pontificiis, qui sine Euange-
lii luce & fide in Christum moriuntur. Quod si
a. Reg. 10 Regina Arabica beatam predicauit familiam,
aulicam, audientem quotidie magnam illam &
admirandam sapientiam Salomonis, quo de verè
dici potest idem, quod Homerus de Tiresia dixit:

Cic. de Dis
uinat. lib. 1. Ille sapit solus, reliqui velut umbra vagantur.
Gell. lib. 9. Quod si Philippus Macedo, teste Gellio, gratula-
cap. 3. tus est sibi natum filium Alexandrum, tempore
Aristotelis Philosophi tam excellentis & magni:
Quanto nos sumus hoc seculo beatiore, qui libe-
rati Dei beneficio ex densissima caligine & laby-
rintho Papatus, Christum ipsum spiritualiter in
Verbo

Verbo & Sacramentis videmus, audimus, percipimus, cum tot millia hominum mortui sint sub Papatu, qui anxie hoc acceptabile tempus & diem salutis exoptarunt.

Eadem felicitas videndi Christum spiritualiter per fidem in Verbo & Sacramentis, Dei beneficio, hoc seculo nobis etiam Germanis contigit. Videbat Christus doctrinam Evangelii Phariseo Papatus fermento passim in omnibus locis adulteratam & obscuratam esse, dominari Simoniam spirituales, rudem, crassam & palpabilem nundinationem, Indulgentiarum, & nugigerulos istos mercatores venalia facere omnia omnium, Sanctorum merita, & omnia omnium ordinum & fraternitatum bona opera, quae nuncupabant & proclamabant communem thesaurum universae Ecclesiae, super quem Papa Romanus divinitus constitutus Oeconomus, potestatem haberet plenariam inde depromendi & distribuendi, quantum vellet. Quos Pseudoprophetas & Magistros mendaces praevidit Petrus in spiritu, quod sint

Applicatio
historiae Evangelicae ad
seculum Lutheranum.

2. Pet. 2.

minum, qui eos redemit, superducentes sibi ce-
rem perditionem. Et multi sequentur eorum lu-
xurias, per quos via veritatis blasphemabitur:
Et in auaritia fictis verbis de vobis negotiaban-
tur: quibus iudicium iam olim non cessat, et per-
ditio eorum non dormitat, &c. Quinetiam eò
impudentia procedere videbat Dominus Venia-
rum nundinatores, ut contra Bullas & concessio-
nes Papales, immò contra verbum & gloriam
Dei, venales extruderent merces, sufficientes ad
plenariam peccatorum, culpa & poenarum re-
missionem consequendam: & arrogarent sibi po-
testatem mandandi Angelis, ut animas indul-
gentiis redemptas deportarent in cælum: Quin-
etiam precio numerato pro indulgentiis animas
ex Purgatorio liberatas affirmarent.

Quapropter Dominus non passus est diutius
grassari istos lupos rapaces, non parcentes gregi,
& suum infelix lolium seminantes: sed iterum
excitos emisit suos Apostolos, Euangelistas & di-
scipulos, per quos excisi & sublati sunt tetrici illi
& idolatrici cultus, & abusus manifesti, & Ec-
clesiæ

clesia graui & prudenti consilio ad normam scri-
pturae sacrae pie reformatae.

Ista verò reformatio non facta est per suppo-
sititios & effectitios quinq; primarios Euangeli-
ca doctrina instauratores, ut falso contendit Ro-
dolphus Gualtherus Tigurinus, hanc laudem tri-
buens Iohanni Reuchlino, Oecolampadio, Eras-
mo Roterodamo, Luthero & Zuinglio. Horum
excellentium virorum, quos superior tulit aetas,
unicuique quod suum est tribuimus, nec quēquam
debito suo honore & laude spoliamus. Iohannes
Reuchlinus, quem graecè Capnionem dixerunt,
incrēdibili cum successu Hebraeae linguae studia,
iam pridem consopita, coniunctis etiam Graecis
literis, excitauit. Iohannes Oecolampadius vir
quidem fuit trium linguarum peritissimus, sed
testamenti Christi & verborum Coenae falsator
vanissimus. Erasmus Roterodamus, inexhau-
sta ingenii vbertate ad summa gloriae fastigium
euectus est, sed in religionis negotio, singulare
quoddam suum iudicium secutus, ^{ex parte} potius
quā reformatoris nomen meruit. Lutherum
ex hac

Tom. 3. os
per. Zuing.
in Eleg. prae
fixa annota-
tionibus noui
Testamenti.

Ioh. Capnio.

Ioha. Oecolampadius.

Erasmus Ro-
terodamus.

Martinus
Lutherus.

ex hac Fanaticorum classe eximimus, dicturi
 paulò post de ipso copiosius. Zuinglium patriar-
 cham suæ sectæ licet Calviniani moderni in cœ-
 lum usque euehant, ambitiosum tamen & inui-
datum hominem fuisse constat, quòd Lutherum vix
reformatoris laude dignatur. In explanatione
 enim Articulorum scribit spiritus ille arrogans
 & iactabundus, quod cœperit Euangelium predi-
 care eo tempore, cum Lutheri nomen in Helueti-
 corum regionibus ne auditū adhuc erat. Et paulò
 post inquit: Initio eius anni nemo apud nos de
 Luthero quidquam audierat, præterquam quòd
 de Indulgentiis quiddam prodierat, quod me pa-
 rum erudire poterat, cum iam antea satis scirem,
 indulgentiarum negotium nihil esse quàm fucum
 et dolum. Et ibidem: Quis me, inquit, adornavit,
ut Euangelium predicarem, & Euangelistam,
Matthæum de integro explicarem? Fecit hoc Lu-
therus? Minimè: nam cœpi predicare Euangeli-
um, antequam Lutheri nomen unquam audi-
vissem. Quinimò Thraſonicus ille Zuinglius ne-
quaquam vult audiri Lutheranus, ne Christi
 nomen

Huldricus
 Zuinglius.

Oper. Zuinglii
 gl. to. 1. art.
 28. pag. 37
 & 38.

Zuinglij su-
 perbus et in-
 vidus spiritus

nomen in hominis, siue Lutheri siue alterius im-
mutetur.

Quam Zuinglianam sapientiam omnes ho-
die imitantur Zuinglii discipuli, siue Sacramen-
tarii & Calviniani, nolentes se nominari Luthe-
ranos, quasi ingens quoddam sit discrimen inter
Christianum & Lutheranum, cum tamen Chri-
stianus nemo dici possit aut debeat, nisi profiteatur
hoc doctrinae genus, quod filius Dei è sinu patris
attulit, & quod Lutherus abolita impia doctrina
Papatus Ecclesiis Germanicis restituit. Sacramenta-
rij & Caluis-
tiani nolunt
dici Luthe-
rani.

At, inquiet Zuinglianus aliquis, crimen falsi
me committere, cum Zuinglio Lutherum magni-
fecerit, honesteq; de ipso senserit, eodem in loco no-
minans eum fortissimum militem Christi, qui
tanta diligentia Scripturas scrutetur, ut ab annis
mille alius nemo, & nequaquam se comparari
voluerit cum Luthero, cum innumerabiles populi
& plures per ipsum sint adducti ad Christum.
Sed huic maleferiato Spiritui respondeo, quòd
hæc Zuinglii oratio sit οὐσαλὴν siue ἐγκωμιαστικὴ,
similis trecentis vulpeculis Simsonis, caudis Jud. 15.

& ti-

Et titionibus ignitis coagmentatis, quemadmo-
dum vulpes coruum laudat à cantus suauitate,
Matth. 22. quales etiam sunt Pharisei, ipsorum discipuli Et
Herodiani, Crocodili astutissimi, Christum no-
minantes Magistrum, Et tribuentes ipsi testimo-
nium, quod verax sit, Et viam Dei in veritate
doceat: Et tamen in cordibus suis alto supercilio
Christum prae se contemnentes, quod falsi animi
indiciu[m] est, ut dicitur:

Qui mel in ore gerit, Et retrò pungere querit,
Huius amicitiam nolo mihi sociam.

D. Martinus
Lutherus so-
lus & vnicus
repurgator
sincerae res-
ligionis.

Alium ergò habemus reformatorem, cui ac-
ceptum referim[us] Euangelii restitutionem, ipsum
nimirum Doctorem Martinum Lutherum, di-
uinitus electum, excitatum Et vocatum ad re-
purgandas Ecclesias Germanicas, qua de re olim
in Patria Lutheri Islebi orationem habui, oppo-
sitam Alberto Hungero, Theologo Pontificio in
Academia Ingolstadiana, impie Et non sine bla-
sphemia nominis Et sanguinis Christi, equipa-
ranti Theologiam Lutheri cum Philosophia Epi-
curi. Et huic primario Apostolorum, Euangeli-
starum

D. Antonij
Probi ora-
tio de voca-
tione Luthe-
ri, edita Li-
psiae Anno
1583.

starum & Discipulorum huius seculi nostri Co-
 rypheo ac Duci initium reformationis facienti,
 adiunxit Deus fidelissimos ~~παρὰ~~ παρὰ ἀνθρώπους, D. Phi-
 lippum Melanthonem, Doct. Iohan. Bugenhagi-
 um Pomeranum, D. Iustum Ionam, D. Caspar.
 Crucigerum, sic tamen, ut Lutherus David ille
 paruulus, stans & dimicans in acie prima ad- 1. Sam. 17.
 uersus immanem illum Goliath Papisticum, qui
 toti terrarū orbi timori erat ac terrori, primam
 aciem illam in collationibus cum Pontificiis, &
 confessione ingenua frangeret ac sterneret. Et ad
 eam rem peculiarem locum sibi delegit Deus, ubi
 oriretur lux Euangelii, non Romam, non Con-
 stantinopolin, non Venetias, non Parisios, sed
 exiguum illud oppidum Vuitebergam, id quod et- Vuiteberga
sedes & do-
micilium res-
nascentis
Euangelij.
 iam magnum quendam purpuratum & deaura-
 tum Episcopum pessimè habuisse in Comitibus Au-
 gustanis Lutherus refert, quod ex illa sordida spe-
 lunca & angusto angulo Euangelium in lucem, Tom. 5. Ien.
pag. 276.
Warnung
an seine lie-
be Deuts-
schen.
 prodierit. Hos vero fideles Lutheri ~~οὐκ ἐκείνους~~ οὐκ ἐκείνους in-
 struxit & ornauit Deus singulos eximiis & pe-
 culiaribus donis. Philip. Melanthon singulare

C

nostri

College Lu-
 theri.
 Phil. Melan.

Ioh. Bugen-
bagius.

nostri seculi ornamentum, optimarum discipli-
narum & artium cum instaurator tum conser-
uator, ob summam & eruditionis, & in dicendo
& scribendo perspicuitatem, aeternum & immor-
tale sibi nomen peperit. Ioha. Bugenhagenius absen-
te Luthero in Pathmo, Theologica professione
Scholæ innotuit, & reuerso Luthero pastoris mu-
nus ei est demandatum, & post plarisq; Ecclesiis
Septentrionalibus, Dania, Pomerania, Saxonia,
piè recteq; constituendis operam nauauit fidelem.

Nico. Ams-
dorsius.

Nicol. Amsdorsius à Luthero missus est Magde-
burgam, quem Lutherus de meliore nota commē-
dauit, & testimonium dedit tam præclarum &
honorificum, ut non dubitarent ciues, quòd ei non
secus ac sibi ipsi omnibus in rebus tutò confidere

Iustus Ionas.

possent. Iustus Ionas, vir summi ingenii & indu-
striæ magnæ, omnium rerum in causa religionis
per Germaniam gestarum conscius, & Luthero
adiutor fuit, in cuius etiam veluti sinu Lutherus
animam suam Deo commendauit.

Gaspar Cru-
ciger senior.

Gaspar Cru-
ciger senior, auditor Petri Mosellani, trium lin-
guarum, liberalium artium, Mathematicum in-
primis,

primis, Physica & Medicina, Geometria & vera Astronomia cognitione excellentissimus. De quibus Germania ^{παράμυθος} ingeniose Melanthon sic iudicavit: Pomeranus est Grammaticus, ego Philippus sum Dialecticus, Iustus Jonas est Orator, Doctor Martinus est omnia in omnibus.

Iudiciū Philippi Melan. Mathes. in vita Luth. con. 16.

Quomodo verò, & per quos Euangelium ex Sione illa Saxonica in urbes, regiones & regna aliquot vicina sit propagatum, & Pontificia religio profligata, nimirum in Ecclesia Bremensi, Magdeburgensi, Brunsvicensi, Halberstadii, Goslaria, Hamburgi, in Ducatu Megapolensi, Vuismaria, Rostochii, in Pomerania, Trepta & Stölpe, in Borussia, in Livonia, Riga, Derbati, Reuallia, & in aliis regionibus ac urbibus, copiosa & luculenta narratione exposuit clariss. & incomparabilis nostri seculi Theologus & Historicus D. David Chytraeus, in Chronico Saxonia, & vicini orbis Arctoi.

David. Chytræi Chron. Saxon. l. 10

Hiscæ summis Ecclesie luminibus Lutheri fida vestigia sequentibus non immerito accensemur Fridericum Myconium, ad quem potissi-

mum hac nostra est directa Oratio, Georgium
item Spalatinum, Casparum Aquilam, Iustum
Menium, qui partim in Misnia, partim in Thu-
ringia Ecclesiam Dei plantarunt, & familiaris-
sime in vera & non fucata amicitia & frater-
nitate inter se vixerunt, iuxta regulam Pauli:

Rom. 12. τῇ φιλαδέλφειᾳ ὡς ἀλλήλοις φιλόσσοι, τῇ ἑμὴ ἀγάπῃς περιε-
μειναι.

Illa verò oratio vobis debetur, illam vobis
offero, dedico, consecro, viri reuerendi, clarissi-
mi & doctissimi, in qua rediuuium quasi conspi-
citis Myconium vestrum, magnum illum ocu-
lum orbis Christiani, Ecclesiae & Scholae vestrae
instauratorem unicum, cuius historiam doctri-
nae & vitae spero vobis non fore ingratam. Floret
enim Dei beneficio Ecclesia & Schola vestra in
hunc usque diem anno post pium & felicem eius
discessum ex hac vita quinquagesimo. Sonat ea-
dem doctrina, quae per Lutherum est repurgata,
per Myconium verò in Ecclesiam Gothanam in-
troducenda. Dominus meus, ἀρχιεπίσκοπος καὶ βραβεύτης
militiae Ecclesiasticae fidelissimus & victoriosissi-
mus, conseruet & augeat in vobis per Spiritum
suum

suum sanctum Zelum Myconianum in propaganda et defendenda puriore doctrina aduersus diabolum, & omnes inferorum portas, Papistas, Sacramentarios, & id genus alios profanatores ac hostes, ἀποὶ οὐδ' ἑς καὶ ἀκέρυκτες, fidiſſimi depositi Lutheri. Benè valete in Christo Iesu, & hilari fronte accipite quaeso Myconium vestrum, et hanc qualemcunq; beneuolentiae & amoris mei erga vos ſynceri ſignificationem boni conſulite, ac pro me, pro vobis aſſiduè orante, viciffim orate ſedulò. Date Vinaria, iſſis Nonis Septembr. incidentibus in XIII. Dominicam Trinitatis, qua Dominus ſuauiſſima concione terq; quaterq; beatos prædicat Diſcipulos, quòd ipſum Meſſiam viderint, agnouerint, audierint. Anno nouiſſimi temporis 1596.

R. D. & Excell.
vestra ſtudioſiſſ.

Antonius Probus, S. Theol.
Doct̃or, Superint. generalis.

C 3 ORATIO

ORATIO
DE FRIDERICO
MYCONIO.

I à nato Christo τῷ σωτῆρι ἀνθρώπων ἐπὶ
ἑνὶ ἡδὲ ἐόντι historiam Ecclesiasticam inspici-
as, si singulorum seculorum tempora accurate
consideres, si seriem doctorum & Instaurato-
rum doctrinæ cœlestis vsque ad hoc præsens seculum re-
censeas, vnicam causam efficientem, à qua oritur & con-
seruatur ministerium Euangelij, ipsum Deum esse, fatear-
is oportet.

Matth. 9.

Hoc ipsum confirmat Christus, os veritatis, quando
hortatur discipulos, inquiens: Rogate Dominum messis,
vt ipse extrudat operarios in messem suam. Ex quo colligi
potest, quanta sit Dei bonitas erga miserum, perditum &
damnatum genus humanum, quod huius æternæ saluti o-
mnibus modis consultum cupiat, & quod sacrosancti minis-
terij hic vnicus finis esse debeat, vt vera Dei notitia & lux
Euangelij inter homines pura retineatur, & perpetuò sit
aliquis cœtus in genere humano rectè inuocans Deum, &
in omni æternitate celebrans.

Initio autem Christus ipse Euangelium docuit, & mi-
raculis confirmauit, quem postea secuti sunt Apostoli, qui
puri Euangelij semina in toto terrarum orbe sparserunt, &
Ecclesias constituerunt per Discipulos, Lucium Cyrenæ-
um Doctorem in Ecclesia Antiochena, quem putant filiu-
m fuisse Simonis Cyrenæi, qui Christum in gestanda cru-
ce adiuuit, & post resurrectionem Christi docuisse Euan-
gelium in Augusta Tiberina, quæ nunc Ratispona dici-
tur,

tur, per Nathanaëlem apud Treuiros, Timotheum, Timotheum, & reliquos, quorum fit mentio in Actis & Epistolis Pauli.

Elapso primo post Christum natum seculo, in altero successerunt in ministerio docendi, Polycarpus auditor Iohannis Apostoli Smyrnæ, Ignatius Antiochiæ, Papias Hierapoli, Iustinus Philosophus & Martyr, Irenæus Lugdunensis. In tertio, Tertullianus Afer, Origenes, Dionysius Alexandrinus, Cyprianus, Gregorius Neocæsariensis, Arnobius, Presbyter Alexandrinus. In quarto, Lactantius Firmianus, Eusebius Cæsariensis, Ecclesiasticæ historiæ scriptor, Athanasius, Hilarius Pictauorum Episcopus, Basilus Magnus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Cyrillus, Ambrosius, Augustinus, Prudentius. In quinto, Hieronymus, Iohannes Chrysostomus, Theodoretus, Sozomenus & Socrates, historiæ Ecclesiasticæ scriptores, Sedulius, Prosper Aquitanicus, Fulgentius. In sexto, Gregorius Magnus Papa eius nominis primus, post quem densissimæ tenebræ doctrinæ cœlestem obruerunt. In septimo, Beda Presbyter, Alcuinus Præceptor Caroli Magni. In octauo, Iohannes Damascenus, Bonifacius Episcopus Moguntinus, Euangelista Germaniæ, qui propagauit Euangelium sua voce in Bauaria, Franconia, Thuringia, Hassia, Frisia, & rexit Ecclesias Germaniæ annos XL. In nono, Haymo, Rabanus, Remigius, Paschasius, Idiota. In decimo, Gilbertus, Smaragdus, & alij. In undecimo, Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia. In duodecimo, Hugo de S. Victore, Bernardus Doctor mellifluus, abbas Clareuallensis primus, Petrus Lombardus Magister sententiarum. In decimo tertio, Alexander de Ales, Bonauentura, Thomas de Aquino, Albertus Magnus. In decimo quarto, Nicolaus Lyra, Taulerus, Gerson,

Gerson, Iohannes Hufs. In decimo quinto, quod Lutheranum seculum meritò appellamus, Martinus Lutherus, Philippus Melanthon, communis Germaniæ Præceptor, Iohannes Bugenhagius Pomeranus, Iohannes Brentius, Fridericus Myconius, fidelissimus Lutheri *παρὰ τὸν*, & nostro seculo primus Tyrigetarum Evangelista, de quo in hac nostra panegyri scholastica verba facturi sumus. Omnis nò enim dignam huius viri memoriam iudico, quæ commendetur posteritati, si quæ futura est, tum propter plurimas historias, quæ memoratu dignæ sunt, vtilis & necessaria, tum propter eius in Ecclesiam merita, quæ nulla unquam delebuntur obliuione. Quia enim, iuxta Psalmi dictum, in memoria æterna erit iustus, tantum abest, vt in his terris nominis eius fama oblitteretur, vt etiam apud Deum æternam & immortalem memoriam consequatur.

Natus est autem Frideric. Myconius in oppido Franconiæ Lichtenfelsio, ad Mœnum sito, ex pijs & honestis parentibus, mense Decembri, in die S. Stephani Protomartyris, anno Christi M. CCCC. XCI. quo tempore in lucem editi fuerunt viri aliquot excellentes, Ecclesiarum & Scholarum egregia lumina. Anno nimirum præcedente Valentinus Trocendorff annis Goldbergæ docuit summa cum fide, diligentia & felicitate doctrinam diuinitus patefactam, & artes Ecclesiæ necessarias. Anno sequente Georgius Rorarius, qui sine dubio diuinitus fuit excitatus, vt magni illius Germaniæ Prophetæ Lutheri scripta colligeret, & Ecclesiæ Dei communicaret. Et biennio post Iustus Ionas, in Imperiali oppido Northusa, Lutheri comes & collega fidelissimus. Et sexennio post Philippus Melanthon, qui Myconium fraternè ac syncerè dilexit, cuius rei documentum sunt plurimæ Epistolæ ad Myconium scriptæ.

Anno

Año ætatis decimo tertio, cum sexenniū integrū in patria schola didicisset prima literarū Elemēta, missus est à parentibus in scholam Annæberg. ad capiendum vberiore ingenij cultum. Ibi cum vltra sexenniū vixisset, & annū ætatis vigesimū attigisset, ingressus est monasteriū, & receptus in ordinem fratrum, siue vt vocant, Franciscanorū. Delegit autem hoc vitę genus, nō quod ocium quæreretur, nec quod in monasterio ventrem curare, aut aliqua sanctitatis specie præ alijs excellere vellet, sed vt Deo seruiret, & ei in æternum placeret, pro suorum & aliorum peccatorum remissione oraret, abstinere à peccatis omnibus, & vitam viueret sanctam & innocentem. Audiuerat enim pluribus verbis prædicari sanctissimam & innocentissimam vitam Monachorum, quomodo Deo dies noctesq; seruirent, se iuncti ab omni corruptione seculi, sobrie & castę, missantes, psallentes, ieunantes, orantes, minimè olfaciens, Diabolus se posse transformare in angelum lucis, aut sub tam religiosa vita hypocrisin & idolatriam latere. Occasionem ingressus sui in monasteriū, recitat Myconius ipse, in descriptione sui somnij, quod prima nocte habuit, de quo postea dicitur. Deliberauerat enim secum, & iam dudum rationes inierat, de mutando vitę genere, eò quod viderat peccata mundi & totius humani generis, quæ nemini non erant ob oculos posita, viderat & peccata sua propria multa & magna, ideò biduo aut triduo Deum orauerat, vt hoc consilium suum gubernaret ad solius nominis sui gloriam. Postmodum quæ secretò in corde suo volutauerat, patefecit præceptorī suo M. Andreæ Staffen-
stein, tūm temporis scholæ Annæbergensis Rectori, & consilium eius in re tam ardua expetiuit. Qui ilicò consilio tanquam ex Tripode reperto, autor ac suasor ipsi erat, vt ingrederetur monasteriū Franciscanorum, quod tunc

2. Cor. 11.

M. Andreas
Staffenstein.

D

istic

istic de nouo ædificari cœptum erat; nec solum autor ac
 suasor erat, sed hunc etiam Discipulum suum Myconium
 ad Monachos ducebat, ingenium & pietatem laudabat.
 Volebat etiam Myconius, vnicus filius & hæres, parentũ,
 quos adhuc in vita habebat superstites, audire consilium,
 sed Monachi id vehementer dissuadebant, obijcientes ipsi
 dictũ Christi: Nemo mittens manum suam ad aratrum &
 respiciens retrò, aptus est regno Dei: Quo dictio eum ad-
 monebant, quòd qui res terrenas anteponat suæ vocatio-
 ni, eum non esse idoneum ad ministerium Ecclesiasticum;
 quo hominibus via ad regnum cœleste monstratur. Non
 igitur parentes, non vxor, non liberi, non amici, multò
 minus opes aut dignitates quenkumq; à sua vocatione ab-
 strahant. His laqueis Monachi miseras conscientias intri-
 cabant, addentes minas, quòd si quis oblatam gratiam re-
 spuat, nec statim obuijs vlnis, siue quod aiunt, ambabus
 manibus amplectatur, in æternum saluari non possit. Sed
 impostoribus illis responderi debet, dictio Christi nequaquã
 vitam aut religionem monasticam confirmari aut stabiliri,
 quæ minimè veræ Ecclesiæ ager est, sed potius dicenda ab-
 ominatio desolationis, & deuastatio agri Ecclesiastici, pro-
 pterea, quod monastica vita plena sit superstitionum, & im-
 pietate abominanda scateat. Aiunt enim, Monachatum
æticipare baptismum, esse statum perfectionis, regulas &
 statuta monastica verbo Dei non solum æquari, sed multa
 eis parasangis antecellere, cucullum & habitum monasti-
 cum sanctitate præstare alijs vestibus, per sepulturam in
 cuculla Monachi consequi remissionem tertiæ partis pec-
 catorum. Qua spe multi Principes, Comites, docti & præ-
 stantes viri decepti, in cucullis Monachorum sepulti sunt,
 Rudolphus Agricola, Longolius, Fridericus Princeps
 Mantuanus, & alij. Quin etiam vita monastica suis operi-
 bus

Vita monas-
 tica æquipa-
 ratur Bapti-
 smo, sicut fi-
 mus gemmæ.

bus & meritis innititur, & in illis omnium peccatorum remissionem quo ad culpam & poenam quaerit.

Prima nocte, qua Myconius ingressus erat monasterium, quod accidit Anno Christi M. D. X. die XLV. Iulii ^{Somnium} ^{Friderici} Iij, pridie Diuisionis Apostolorum, somnium habuit, cui ^{Myconij.} ^{us} supra mentionem fecimus, quomodo nimirum vastissimam eremum ingredi sibi visus sit, oberrans in locis confragosis, asperis, horridis & praeruptis, ubi nihil praeter scopulos & petras, nullam arborem, nullum virgultum, nullam herbam aut gramen conspiciebat, quos nunc ascendendo nunc descendendo perreptabat, circumspiciendo, an alicubi appareret campus apertus, aut domus aliqua, quorum tamen nullum sese obtulit, ita ut propter periculum & mortem praesentem, quam defessus, famelicus & sitibundus sentiebat, prope animum desponderet. Interea vero dum haeret inter scopulos, & sedet exanimis, quasi ^{αὐτοθυμία} quadam correptus, accedit vir quidam mediocris staturae, fronte serena, sed calua, capillo & barba proluxa, quibus inspersi erant cani, amictus chlamyde rubra, cum nodo in scapularum parte sinistra, qua forma antea viderat saepe pingi Paulum Apostolum. Qui compellans eum familiariter, ac verbis blandis ait: Surge, & me sequere, res tuae meliore loco erunt. Sequentem pedibus tremulis interdum portat vir ille per tesqua in via, aspera & inculta. Et dum pedetentim procedunt, via fit nonnihil latior & tritior, & mox aperit se vallis amoenissima, apparet pratum viridissimum, & viretum herbarum arborumque suauitate iucundum, gramina roscida, flores variegati & fragrantés, auditur susurrus leniter defluentis riuuli, aqua lucida & crystallina. Ad restinguendam sitim & recreandam animam labascentem manu haurire aquam Ductor prohibuit, iubens ex ipsa scaturigine arentia temperare membra,

iuxta quod dicitur: Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Illicò offert se puteus marmoreus, ex quo copiosè emanabat aqua. Et dum ad hauriendam aquam in gēua procumbit, videt imaginem Christi in cruce pendentis, & ex vulneribus totam aquarum molem scaturientem, quæ tanta rubedine erant tinctæ atq; coloratæ, vt carbunculi refulgentes radios rutilando longè superarent. In hunc fontem præcipitavit eum Ductor, adeo vt capite pectus Christi, & ex eo magni vulneris scatebras promanantes contingeret, & potu dulcissimo ac viuifico suauiter recrearetur. Extractus verò ex fonte per Ductorem commonefit, quòd non ex riuulis, sed ex ipso fonte, & fontis autore aquam hauserit. Progredientibus nonnihil aperit se campus maximus, longissimus, latissimus, plenus frugum maturarum, tritici & siliginis, vbi Ductor laborandum & metendum esse iubet. Cui respondet Myconius, se his laboribus non assuetum, nunquam enim contrectasse falcem, nec vnquam vnum culmum aut manipulum demessuisse. Ductor, doceris, inquit, quod nescis, disces. Venientibus ipsis propius ad agros, stabat messor quidam, vrgens opus tanta contentione & conatu, quasi solus immensum illum campum demetere sibi in animum induxisset. Huic vt se adiungat Ductor præcipit, qui videbatur vir esse grauis & ætate iusta, & quoad formam Ductori haud absimilis. Ductor manu arripit falcem, & cum duos aut tres manipulos refecisset, sic & tibi, inquit ad Myconium, faciendum est. Accedit etiam messor, magno delibutus gaudio, quod laborum socium nactus sit. Myconius accepta falce adgreditur opus, labor procedit initio lentè, post verò comparato habitu aliquo felicius, vt dicitur: τὸ καλὸν ὀφειτέλειον γίνεται, quod egregium futurum est, tardè absoluitur. Quam sententiam Homerus venusto versiculo complexus est Ilia. 6.

Home. Il. 2

ὄψιμον

ὅψιμον ὀψιτέλειον, ὃς κλέει οὐκ ἀπολῆται:

Quem Cicero sic reddidit:

Sera & tarda nimis, sed fama & laude perenni.

Virgilius verò sic:

Omne quod excellens opus & sublimè futurum,
Difficiles ortus habet incrementa&q; tarda,

Dum verò Ductor videt Myconium adeò intentum operi, vt non solùm aristas & culmos, sed etiam inferiorem partem straminum præscindere non dubitet, inquit, Domino meo non opus est straminibus, modò triticum, aristæ & culmi in horrea colligantur. Spectator operarum *πρωταγωνιστῆς* ille obseruat gnauiter, num omnia rectè fiant, quin etiam *θεριστῆς*, cui adiunctus erat Myconius *παρασώτης*, videns eum progredi tardius, ad eius partes accurrens in demetendo adiuuat sedulò. Veniens Myconius ad tumulum siue colliculum quendam è terra nonnihil eminentem, & circumlustrans campum, ac videns eius latitudinē & amplitudinem *ἀμέτρητον*, infinitam & vix mensurabilem, quærit, quantum temporis requiratur, ad demetendum fruges maturas in tanta messorum paucitate, cui *συνωδοιπός* & ante brumam, inquit, oportet messi vltimam manum imponere, tu vt cœpisti perge strenuè, Dominus messis plures in hanc messem mittet operarios. E vestigio accedunt *ἐργολῶνται* plures, qui & ipsi manus admouent, & defessi tandem fracti&q; labore diurno, iuxta riuulum considentes, depromunt panes, pisces & carnes assas, quibus se recreant, & mutuò suauissimè colloquuntur, subducit se viâ monstrator, & ipse Myconius in suum cubiculum reducit, adeò exhaustus viribus, vt vix ossibus hæreret, de hoc vno sollicitus, ne quidquam in agro residuum maneat. Hæc dum animo versat, subito astat liberator, &

cum eo alius quidam habitu & vultu fermè Apostolico, quales pingi solent Andreas & Philippus, qui placidè cum eo colloquuntur. Quos cum attentè audit, iterum conspiciit imaginem Christi crucifixi ex aduerso lecti in pariete affixam, adeò macie confectam extenuatamq̃, vt singula ossa dinumerari facile possent. Dux verò seu liberator prius pectus eius pulsat digito, deinde indice dextræ manus porrecto monstrat Christi imaginem ex aduerso positam, addens hæc verba: Huic oportet te conformem fieri. Ex quo contactu euigilans Myconius, diuersis cogitationibus distractus fuit, quid nam sibi hæc visio veller, quæ aliquid magni portendere videbatur, nec tamen audebat quidq̃ cum Monachis hac de re conferre, qui dubio procul risu Sardonio ipsum exhibilassent.

*Interpretatio
somnij duplex,
alia falsa, alia
vera. Somnij
interpretatio
falsa.*

Hoc somnio fatetur Myconius ipse, se egregiè diuexatum, quòd anxie torserit illius animum, antequam verum eius sensum assequeretur. Omnino in hac fuit opinione, vasta eremo & scopulis, quibus implicitus hæserat, significari vitam secularem ante à se actam, educatione verò religionem Franciscanorum, messè fructus vitæ monasticæ, si seruaret regulam & statuta patrum. Quo pacto semetipsum excarnificauit vigilijs, laboribus, ieiunijs, precibus, alijsq̃ operibus electijs: elegit sibi patronos, Apostolos, martyres, confessores, quos mediatores constituit inter se & Christum: Lectionibus etiam se macerauit assiduis & continuis, & noctu, reliquis Monachis dormientibus, legit Petrum Lombardum, Magistrum sententiarum, Alexandrum de Ales, Bonauenturam, Gabrielem Biel, Augustinum, & alios plures scriptores, eo fine, quòd quæsitam gratiam & salutem ibi esset reperturus. Constitutus à Monachis in *δευτέρω*, siue vt vocant, refectorio lector, sacrosancta Biblia cum interpretatione Lyre interpretans

prandendum & cœnandum integro fermè septennio prælegit, & toties euoluit, vt fermè tota memoriter teneret, sine tamen iudicio & vero intellectu, sine vero etiam vsu, saltem quod nosset historias Biblicas recitare. Desperauit tandem sub hisce præceptoribus de studijs suis, & idem ipsi vsu venit, quod hæmorrhousæ, quæ præter sumtum da-
mnum à compluribus medicis afflictæ fuit curatione & me-
dicaminibus prorsus irritis ac vanis: & ita quidem, vt ab-
ijceret omnem amorem librorum & studiorum, & exer-
ceret artes mechanicas siue illiberales, compingendo li-
bros, tornando, & dolabra siue ascia læuigando ligna, &
faciendo alia, quibus temporis tædium librorum pertæsus
falleret.

Cum verò Deus puram & sinceram Euangelij do-
ctrinam tenebris plusquam Cimmerijs inuolutam sub im-
pij Papatus obscura nocte per D. Martinum Lutherum
puritati & nitori suo restitueret, quod accidit Anno M.
D. XVII. cum Myconius annum ætatis ingressus esset
vicesimum sextum, statim animaduertit Spiritu Dei illu-
minatus, Lutherum hunc ipsum esse virum, quem Deus
Ducem in deserto opaco & vmbroso sibi oberranti misis-
set, à quo fuerat paternè correptus, in fontem vitæ præci-
pitatus, & super Christum crucifixum coniectus. Huic se
statim adiunxit Myconius socium confessionis, à qua Mo-
nachi eum multis minis & pœnis, proscriptionibus, carce-
ribus, & sepultura viui corporis, quod ipsum etiam suppli-
cium Iohanni Hiltenio comminati fuerant, abstertere co-
nati sunt.

Non obscure etiam colligere potuit, virum illum A-
postolicum, quem in somno viderat, fuisse D. Philippum
Melanthonem, qui anno sequente, cum Lutherus indul-
gentias Papales impugnaret, & doctrinā de gratuita pec-
cato

Matth. 9.

Mar. 5.

Somnij inter-
pretatio ve-
ra, cui paulò
post respon-
dit euentus.

catorum remissione sola fide apprehendenda, à scorijs Papisticis repurgaret, Vuitebergā venerat, & in dimicando contra Pontificios fidelem se Lutheri παραστάτην καὶ ἀγωνοδότην exhibuerat.

Obiectio Papistarum, & responsum. Andr. Fabr. Leodius, Pontificius.

2. Pet 1.

ῥητιρία
doctrinæ
cœlestis.

Sed nisi me fallit opinio, obijcient nobis Lutheranis Papicolæ κακῶργοι, doctrinam nostram, quam per calumniam, non nisi insigni blasphemia in Filium Dei, Andreas Fabricius Leodius in Harmonia Confessionis Augustanæ vocat quintum Euangelium, non alio niti fundamento, quàm somnijs humanis. Quibus respondemus, fundamentum & columnam nostræ religionis non esse somnia fallacia, non traditiones humanas citra scripturam, consuetudines & dogmata Romanæ Ecclesiæ, quæ scripto verbo non continentur, quibus ceu fumo infernali venduntur, finguntur, excusantur & palliantur à Romanensibus, omnis generis idola, errores, blasphemix, superstitiones, ritus: sed ipsam sacrosanciam Scripturam Veteris & Noui Testamenti comprehensam monumentis Prophetarum & Apostolorum in lege & testimonio. Et vt cum Diuo Petro loquamur: Habemus firmissimum Propheticum sermonem, cui attendimus q. lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus nostris. Doctrina Euangelij, quam prædicamus, fundata est firmissimè in scriptis Prophetarum, qui de Christo eiusq. beneficijs vaticinati sunt, in quibus Christum quærimus & inuenimus, quæ etiam tanquam lucerna Christū, & in Christo semitam ad vitam æternam monstrant. Quæ item doctrina firmissima habet ῥητιρία, certitudinis euidencia, immota & infallibilia indicia, quæ sumta sunt ab antiquitate, à continua serie Doctorum & Instauratorum doctrinæ cœlestis, ab initio conditæ & fundatæ Ecclesiæ, vsque ad nostra tempora, à consensu & perpetuitate doctrinæ,

doctrinæ, à genere doctrinæ, quæ Legem naturæ integram habet & illustrat, arcana atq; ignota humanæ rationi, de prima omnium rerum creatione, de conditione & lapsu hominis, de redemptione generis humani. Ab experientia itemq; piorum inuocatione, & quotidianis fidei exercitijs, à miraculis, à vaticinijs, quæ certò euenerunt, & Diabolo sunt inimitabilia, à præsentia Dei, & miranda Ecclesiæ conseruatione, ab odio & furore Diaboli, qui inde vsque ab initio hanc doctrinam horribiliter oppugnauit, vt omnium temporum historiæ testantur, à testimonio Martyrum, à pœnis impiorum & persecutorum huius doctrinæ.

Ad somnia verò quod attinet, nouimus eorum differentias, & certa genera, quòd aliud sit ἐνύπνιον, seu physis cum somnium, aliud ὄνειρον, seu præfagiens, aliud ὄραμα, seu χηματισμὸν, θεόπνευστον, seu diuinum, aliud δαemonιόπνευστον ὄραμα, seu diabolicum. Et cum viro Dei Luthero dicimus, quòd non simus somniatores, nec interpretes somniorum, sed contenti simus hoc dono, quòd habemus scripturam sanctam, quæ abundè docet & suppeditat omnia, quæ sunt necessaria tum ad hanc, tum ad futuram vitam, huic credimus & acquiescimus, ac certi sumus, nos falli non posse, & cum Domino Deo nostro sic transegimus, quòd velimus credere Mosis & Prophetis. De somnijs verò non iudicamus, nisi à posteriori, quatenus sunt ἀνάλογα fidei, & rectissimè æstimamus ab effectu, quatenus vtilia sunt Ecclesiæ & animarum saluti. Sic de Somnio Myconi iudicamus ab effectu siue posteriore, quòd fuerit verè diuinum & θεόπνευστον, quia euentu fuit probatum, quòd Lutherus fortissimus ille Dei ἀδελφὴς esset Antichristum Romanum gladio diuini verbi iugulaturus & occisurus,

De somnijs,
et eorū genera
neribus ac
differentijs,
vide Luthe.
in Gen. ca.
37.
Commentari-
um itē D.
Casp. Peuce-
ri, de præci-
pijs diuinat.
generib.

Facile autem possunt mentes piæ ex præmissa narra-
tione coniectura assequi, in quàm tristitia & misera tempo-
ra, in quàm densas & horrendas tenebras inciderit Fride-
rici Myconij ætas iuuenilis, quândò nimirum in toto Chris-
tianorum orbe regnavit impius & blasphemus Papatus,
monstrum tam horrendum, immane, ingens, ut nec Da-
niel Propheta, nec Iohannes Euangelista in Apocalypsi,
nec Paulus in Epistolis satis verborum potuerint reperire,
quibus tetrum illud portentum depingerent. Omnia tum
temporis Christi beneficia, passio, mors, redemptio, sub
scamno abiecta iacebant, & tantum recitabatur historia
passionis, sicut nauigatio Vlyssis apud Homerum. Si verò
interdum fieret Christi mentio, proponebatur, ut crude-
lis, seuerus & iratus iudex, qui se vix, ac ne vix quidem, à
matre Maria semper virgine, nec etiam ab omnibus san-
ctis in cœlo, etiamsi sanguineas lachrymarum guttas, im-
mò totos fontes sanguinis profunderent, pateretur placari
atque exorari. Ideò loco Christi, fidei iustificantis, &
apprehendentis meritum Christi, gratiæ & vitæ æternæ,
quam salutarem doctrinam Myconius à parentibus edo-
ctus ab incunabulis vnà cum lacte materno imbiberat, præ-
dicabant Monachi quæ essent de pane lucrando, opera &
merita sanctorum, purgatorium, horas canonicas, Rosa-
ria, fingebant intercessores infinitos, iactitabant diuersos
ordines & Regulas, ieiunia, ferias, peregrinationes,
nova Sacramenta, consecrationes, confirmationes, reli-
quias sanctorum, fraternitates, vota monastica contra vo-
luntatem parentum, dispensationes & diuortia connubio-
rum, sacrificia pro viuis & mortuis, vigiliis, & cœnam in-
super Dominicam horribiliter profanabant.

Occur-

Occurrit hoc loco historia, de impudentibus clamoribus & vociferationibus, imposturis & nundinationibus Iohannis Tecelij, emissarij Pontificij, quem Myconius ^{Historia de Indulgentijs Tecelij, Monachi Domus nicani.} ANNÆBERGÆ integrum biennium docentem audiuit, quàm miserè in publicis concionibus excœcauerit & dementauerit populum Annæbergensem, nil nisi indulgentiarum virtutem crepando, inquires: Nullam esse aliam viam consequendæ remissionis peccatorum & vitæ æternæ, præter satisfactionem per opera, quæ quidem homini sit impossibilis, sed hæc vnica & sola restet via consequendi illam satisfactionis vim & efficaciam, si numis redimatur à Romano Pontifice, & emanatur indulgentiæ Papales, quas definiebat esse remissionem peccatorum, & certissimam viam ingrediendi vitam æternam. Minabatur præterea, se depositurum crucem, clausurum ianuam cœli iam latissimè patentem, extincturum radios & splendorem solarem, futurum breui, vt res tam preciosæ, indulgentiæ nimirum, non amplius pro tam vili precio extarent venales, nec in posterum sperandum, vnquam in Germaniam, donec hic mundus staret, tantam liberalitatem Romanæ sedis redituram esse. Hortabatur etiam seriò, vt singuli suæ & suorum mortuorum & viuorum amicorum animæ salutis rationem haberent: esse enim nunc diem salutis, esse nunc tempus acceptabile, occasionem præsentem arripiendam, non negligendam: nisi enim quis habeat literas indulgentiales, non possit à quoquam absolui à suis peccatis. Clamitabat etiam hic Stentor Pontificius, si Annæbergenses ciues gnauiter darent nummos, fore vt singularum fodinarum venæ circa S. Annæ urbem argento puro puto abundarent,

His clamoribus effecerat scurra impudens, indulgentiarum caupo auarissimus, ut literæ indulgentiales in tanto haberentur honore & precio, ut si quando Tecelius urbem aliquam ingrederetur, Bulla Pontificia holoserico vel etiam linteolo aureo inuoluta præferretur, processione tam longa & pomposa, ut vix sit credibile, si Deus ipse alicubi apud Pontificium ingrediatur, tanto cum splendore & honorificentia exceptum iri. Quæ verò eius rei causa? Miser ille noster & impotens Deus non amplius sub Papatu erat Deus, quia omnem diuinam potentiam Papæ concesserat ac donauerat in cœlo & in terra. O miserum Ecclesiæ statum, ô miseras hominum mentes, ô pectora cæca. Credebat misera & stulta plebecula, omnes Monachorum crepitus esse oracula Dei, & quicquid à Papa Romano mitteretur, ab ipsomet Christo mitti.

Myconij dis-
putatio cum
Tecelio.

Quia autem literæ indulgentiarum Papalium annexam habebant appendicē: Pauperibus dentur gratis propter Deum: grauis inter Myconium & Tecelium orta est disputatio. Didicerat domi puer Myconius Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, & admonitus erat ut frequenter oraret, quod à solo Deo nobis gratis omnia dentur, & ille nos gubernet, si diligenter oramus. Et sanguinem Christi esse vnicum precium pro peccatis totius mundi, & hanc fidem cuiuslibet Christiano esse necessariam. Et omninò sibi persuasum animoq; suo infixum haberet ἀξίωμα Theologicum: si tantum tres homines essent saluandi per sanguinem Christi, certò statueret, vnum se esse ex tribus illis, & contumeliam esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare. Indulgentias Romanas esse retia, quibus venarentur pecuniā, & deciperent simplices: Remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecunia.

Vnde

Vnde apparet, patrem Myconij rectè sensisse de Iustificacione, de vera ac non dubitante fide, qua omnia à Deo impetremus: de inuocando solo Deo, & de Indulgentiarum vanitate. Fuit haud dubiè aut Vualdensium discipulus, aut alioqui *θεοδιδάκτωρ*, mirabili modo à Deo veritatem edoctus, quales multi in omnibus locis sub densissimis tenebris Papatus fuerunt. Et idem postea docuit Myconius Monachus, sed tamen non sine fremitu & indignatione fratrum.

Cum autem in concionibus publicis nihil præter indulgentiarum laudes audiret populo inculcari, & gratiæ Christi ac satisfactionis eius pro peccatis mundi nullam fieri mentionem, aut si fieret, ita interpretarentur, eos fieri mortis Christi participes, qui vel bonis operibus meriti essent, vel emissent pecunia, ancipiti ac dubio in tenebris istis oberrabat animo, vtri parti magis, parentibus an sacerdotibus, esset credendum. Magis tamen in sacerdotum partes inclinabat, sed hoc vnum non admittebat, remissionem peccatorum impetrari sine pecunia non posse, maximè qui essent pauperes. Adeò mirificè ipsi placebat clausula in fine literarum Papalium: Pauperibus gratis propter Deum. Quare spiritu Dei incensus & excitatus, non tamen intelligens quid ageret, adibat Commissarium Pontificium, & petebat literas illas, de remissione peccatorum gratuita pro pauperibus, commemorans se peccatorem esse & pauperem, & indigere gratuita remissione & participatione meriti Christi.

Audiebat Tecelius orationem Myconij latinam, admirabatur valde hominis ingenium, cum in illa barbarie nemo esset inter Clericos, qui vnum aut alterum verbum latinè pronuciare posset, deliberabat hac de re cum Collegis, qui pro eo intercedebant, vt literas petenti daret

gratis. Sed hac intercessione infrugifera nihil impetrabat, respondebatur enim post longam deliberationem, petitioni eius modò locum dari non posse, literas enim Papales dispensationem non admittere, & eos solùm capaces & participes fieri largissimarum indulgentiarum & thesaurorum Ecclesiæ, adeoq; etiam meritorum Christi, qui manus porrigerent auxiliatrices, hoc est, qui numos darent. Instabat Myconius, & obijciebat literas, publicè valuis & parietibus templorum affixas, sanctissimum patrem Papam mandasse, vt pauperibus gratis darentur propter Deum, & adscripta esse hæc verba, quæ simpliciter & significanter hoc vellent, nimirum, Ad mandatum Domini Papæ proprium. Hæc tanta improbitate vrgente Myconio, Collegæ denuò intercedebant pro illo apud Tecelium, vt satisfaceret petitioni, daret literas, dimitteret, esse adolescentem ingeniosum & facundum, & omninò dignum, in quem præ cæteris aliquid beneficij collocaretur, nec iniurius fieret in pauperem, quem nec Deus nec Pontifex exclusum vellent à gratia, nec reijceret propter pauculos numos. Sed nolente Monacho fastu & arrogantia tumido, insufurrabant Myconio in aurem, vt saltem aliquid vel vnum grossum daret, ne deesset manus adiutrix. Prætendente & excusante iterum Myconio paupertatem, se nec sex, nec vnum numum dare posse, suadebant cæteri, non dimittendum sine literis, metuebant enim, ne adolescens ille tanto conatu instans & propositi tenax, ab alijs esset subornatus, neue nouæ orirentur turbæ, nec à scholasticis & mendicis obruerentur, volentibus singulis habere Indulgentias gratuitas. Offert quidam Myconio sex numos, vt illos pro forma daret, ne haberetur pro destructore ædis S. Petri, nec labefactaret authoritatem Papæ. Cui perculiari

culiari quodam instinctu spiritus ingenuè respondet Myconius: Nolle se emtas indulgentias, si vellet emtas, polle
se librum aliquem diuendere, & propria pecunia emere,
se gratuitas cupere indulgentias propter solum Deum,
quas si non impetraret, redderent ipsi Deo rationem ob
neglectam animæ salutem propter solos sex numos, siquidem & Deus & Papa remissionem peccatorum gratis dari velint petentibus, pro meritis quidem singulorum, sed pauperibus gratis. Quærebatur tandem, à quo esset hûc missus? à quo instructus hanc rem tam pertinaciter vrgeret? Respondebat Myconius, se à nullo prorsus homine, quod verissimum erat, vel monitore, vel impulsore informatum, sed sola fiducia gratuita remissionis in literis promissæ fretum rem illam egisse, nec sibi vnquam cum tantis viris fuisse colloquium, natura se esse verecundum, siti gratiæ Dei, & remissionis peccatorum extimulatum. Et cum videret Myconius, se quod aiunt, *ὁδὸς ὑπὲρ πλῆθας*, aquam in mortarium infusam ferreo pistillo tundere, & facilius esse Herculi clauam, adeoq; Ioui fulmen eripere, quàm ab auaris monachis literas gratuitas extorquere, tandem discedebat, & partim dolebat se voti sui compositionem minimè factum, partim verò gaudebat, quòd adhuc aliquis esset Deus in cœlo, qui peccata remitteret poenitentibus sine pecunia & precio, propter solius Christi filij sui solum & æquiualens precium ac meritum, iuxta consolationis plenissimam promissionem: *Viuo ego, Ezech. 18.*
dicat Dominus, nolo mortem peccato-
ris, &c. 33.

Apparet

Apparet ex hac qualicunq; narratiuncula, quàm miserè homines decepti fuerint offucijs & præstigijs monasticis, quid fuerit baptisumus monachorum, siue ingressus religionis, & cucullæ induitio, certè non regeneratio & noua vita, sed limus profundissimus, & verè ipsius inferni barathrum, adferens conscientijs nullam consolationem, sed immergens illas in pusillanimitatem, perplexitatem, scrupulositatem, blasphemiam & desperationem. Cuius rei vnum hoc loco subiiciemus exemplum. Vixit olim a
To. 6. Mar. pud nos Vinarie in monasterio Franciscanorum Iohannes
tyr. D. Lud. Voitus, Doctoris Davidis Voiti pater, qui & ipse ex li-
Rab. bris Doctoris Lutheri Christum agnoscere & amare, mo-
Ioh. Voitus. nasticen verò odisse & detestari cœpit, & didicit, quid sit
Christus, quid fides, quid gratia, quid iusticia, quid remissio
peccatorum, quid reconciliatio cum Deo, quorum omnium
nihil in Scholasticorum putidis lacunis legerat. Hac
verò sola & vnica petra nixus, emerfit ex baptismo mona-
chorum, ex angustijs conscientia, ex acerbitate mortis, &
doloribus inferni, & Deo gratias egit pro libellis à Luthero
editis, quos cum Friderico Myconio in angulo quodam
obscurò latitans diligenter legebat. Sed cum oppidum supra
montem situm abscondi non possit, nec accenditur lucerna,
ut ponatur subter modium, sed super candelabrum, ut luceat
omnibus qui sunt in domo, ipse etiam Ioha. Voitus tacere non
poterat, sed profitebatur Christum publicè tam in lectionibus quàm
concionibus, etsi mussitare omnes cogebantur, & nemo hiscere
contra Monachorum idolatriam & blasphemias auderet, & sub
excommunicationis pœna prohibitum esset, ne quis Lutheri libros
tangeret, multò minus legeret. Quàm verò indignè tractatus
sit à Monachis impijs & virulentis, testatur ipse, quod omnes
Diaboli cœperint insanire, debacchari, persequi odio
hostili

hostili hominem Lutherana hæresi infectum, arcere & prohibere à consuetudine & colloquio fratrum, fugere tanquam *κἀδερμα* & *περίφρυμα*, monstrare digitis, tradere Diabolo. Inter prandendum & cœnandum ipse humi res-
 pere, micas colligere, pedes monachorum osculari, flagel-
 lis se cædere & cruentare cogebatur. Nec tamen ex Mo-
 nasterio dimittere ipsum audebant, quod Myconio acci-
 disse affirmat, metu Saxoniae Ducum, qui ipsum pro con-
 cione perorantem audiebant clementer, & contra crude-
 lium monachorum vim ac tyrannidem defendebant. Et
 quamvis ipsum à munere docendi suspenderent, & cathe-
 dram interdicerent, mandato tamen Principum ipso die
 Circumcisionis Domini publicè concionem habet, Anno
 M. D. X X I I I. in qua tractat articulum de iustificatione
 hominis peccatoris coram Deo, quod non sit ex operibus
 & meritis proprijs, sed ex sola fide in Christum, apprehen-
 dente & applicante sibi passionem & mortem eius, quod
 sanguis Iesu Christi, non opera, emundent nos ab omni
 peccato. Qua concione crabrones & vespæ adeò irrita-
 bantur, vt miserum hominem pertinacissimis & pestilen-
 tissimis aculeis multò vehementius pungerent quàm ante.
 Adeò infestus est Diabolus Euangelio Christi, vt homi-
 nes planè in furorem agat, & impellat ad perdendos pios:
 Quod idem vsu venit Paulo gentiũ Apostolo. Cum enim
 Iudæi ex Asia eum vidissent in templo, conturbârunt to-
 tum populum, & iniecerunt ei manus vociferantes: Viri
 Israelitæ, succurrite, hic est ille homo, qui aduersus popu-
 lum & legem, & locum hunc omnes ubiq; docet.

Myconius è
 monasterio
 Franciscanorum Vi-
 nariæ dis-
 mittitur.

1. Ioh. 1.

Acto. 21. 27.

Et hætenus de Myconij nostri ætate iuuenili, exerci-
 tijs pietatis, indole liberali, zelo pro gloria Dei ardenti, or-
 dine & Monachatu, copiosè verba fecimus. Nunc quo-
 modo è vita & carnificina monastica tanquam ex captiui-

De Sacerdo-
 tate Myconij.

F

rate Babylonica sit liberatus, breui narratione perstringemus.

Cum ordinem fratrum minorū sectatus esset aliquamdiu Annæbergæ, Lipsiæ & Vinariæ, hîc apud nos Vinariæ sacris fuit initiatus, & vt vocant, primam missam cecinit, quod accidit ipso die Pentecostes, anno Christi M. D. XVI. anno ætatis suæ 25. Huic actioni interfuerunt duo Saxonix Duces Electores, Iohannes, & Iohannes Fridericus, qui etiam sumtus ad eam rem suppeditarunt necessarios. Anno sequenti, quo Lutherus Vuitebergæ primum impugnabat errores & blasphemias Papisticas, & lux Euangelij syncera oriebatur, quod auricomum iubar spargebat per oras etiam Thuringicas, vocatus est Myconius à Vinariensibus nostris ad ministerium docendi, cuius conciones quidem sub initium Papismum olebant interdum, cum pauca de passionibus & legendis Sanctorum immisceret. Sed Spiritu Dei illuminatus, & Lutheri scriptis confirmatus, primus in his Ecclesijs impio Papatui contradixit, & pura Euangelij semina sparsit, quod tam celeri volatuferebatur, & quidem spacio menstruo, per vniuersam Germaniam & aliquot regiones exteras, & tanto cum applausu accipiebatur, vt omnino ipsi Angeli cursores & huius doctrinæ præcones fuisse viderentur. Vuitebergam itaq; atq; adeo ipsum etiam sacellum, in quo publice docebat Lutherus, in monasterio Augustinianorum, nominare solebat Myconius Sepulchrum Domini sanctum, custoditum & munitum à militibus Papæ, ne Christus resurgeret, neue discipulorum quisquam eum raperet. Quod sacellum iuxta vetustam quandam prophetiam, de qua Tomo secundo Ien. lat. de abroganda missa priuata, redimi debuit per Fridericum Imp, qui fuit Fridericus ille Saxonix Elector

Tom. 2. Ien.
fol. 493. b.
edit. prioris.
To. 2. Vuit.
edit. recent.
pag. 268. 4.

etor sapiens, olim à Statibus Imperij petitus & designatus
 Imperator. Existimat autem Lutherus, diuinitus factum
 esse, vt quemadmodum prædictum fuit à Prophetis: De
 Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem: Euan^{Isaie 2.}
 gelium quod est verbum Dei, diuulgandum ab Hieroso^{Mich 4.}
 lymis in totum orbem terrarum, & suo suauissimo odore
 alleciturum multas gentes ad agnoscendum Christum: Sic
 etiam in isto abiecto angulo terrarum, Vuiteberga nimis
 rum, Deus voluerit suscitare suum verbum: & quod præ
 ter Iudaicam terram nulli parti terrarum acciderit, vt oppi
 da & pagi, quin & ciues Ebraicis nominibus vocetur, Vnde
 enim Ephrata, Hebron, Resen, Pannec, Globoc, Zi^{Nomina opo}
 don, Iesse, Damascus, Dibon, & multa similia? Tum ipsa^{pidorum &}
 Vuittenberga à candore montis dicta, quid est nisi mons^{pagorum cir}
 Libanus? Libanus enim candidum sonat. Haftenus Lu^{ca Vuitten}
 therus. Cum verò hoc sacellum multò esset angustius, quàm^{bergam Es}
 vt caperet ingentem illam hominum multitudinē conflu
 entium crebrò turmatim ad audiendum Euangelion, iussus
 fuit Lutherus publicè docere in templo parochiali. Et hoc
 pacto puer Iesus denuò introductus est in templum Iero
 solymæ, vt olim in festo ὑπαπαντῆς, obuiationis vel exce
 ptionis ab Imp. Iustiniano dictum, quòd Simeon Christum
 diu à patribus magno cum desiderio expectatum, in vlnas
 suas suscepit, referente Niceph. hist. Eccl. lib. 7. ca. 28.

Anno Christi M. D. xviii. quando Lutherus iter su
 sciperet Augustam ad comitia, & pedester veniret Vinari
 am, pernoctaret in monasterio, missamq; caneret, Myconius
 us primùm vidit Lutherū, sed ab accessu & colloquio eius
 phibitus. Monachorū verò tunc temporis διοικητὴς vel ἐπισ
 τας, vicarius & Administrator Ioh. Kestnerus, solus Lu^{Ioh. Kestne}
 therū cōpellauit, & de religionis negotio multa cū eo con^{rus Vinariæ}
 tulit, ingens, vel ex pia quadā συµπραχία, vel potius µοναστηριακή
 sis monaste
 & rij Vicarius.

& humana imbecillitate : Mi Frater, habebis Augustæ Itæ
los homines doctissimos & acutissimos, Antagonistas a-
cerimos, qui plurimum tibi facessent negotij, valde me-
tuo, vt in hac religionis controuersia causa excidas, profe-
ctò in ignem te conijcient, & flammis exurent. Cui Lu-
therus per iocum respondit; Si vrticis me vsserint, aliquo
modo tolerabile erit, sin igne, nimium graue & prorsus
intolerabile, addens hanc patheticam & Spiritu plenam
adhortationem : Interpone quæso tuas preces apud Deum
pro me, & ora Christum Filium eius, cuius est causa hæc,
vt mihi adsit, quam si obtinuerit, mihi obtenta erit : sin ve-
rò causa exciderit, nec ego eam obtinere potero, atq; ita
ipse solus ignominiam reportabit.

Epistola Fr.

Myconij ad

Annæmonta-

nos, excusa

Cygneæ, a^{no}

M.D.xxiiij.

In nouella Ecclesia apud Cygneos nata, cœpit etiam
exaudiri cygnea cantio, & cœlestis tuba renascentis Euan-
gelij, ex qua vrbe ἑφεσς Myconius ad rempublicam &
ciues Annæmontanos epistolam misit lingua nostra ver-
nacula, siue populari zelo maximo & ardentissimo Spiritu
scriptam. In qua Deo peculiariter gratias agit, quòd libe-
ratus sit diuinitus ex Pharaonica captiuitate, Aegyptiaco
carcere, & nido fucorum ignauorum, & ex animo lætatur,
quòd Dominica Palmarum vnà cum lætissima turba Chris-
tum descendente de monte oliueto, & ingredientem
Ierosolymam spiritualem sit comitatus. Deinde adhortatur
Annæmontanos, ne metuant Papistas animarum deuora-
tores, verbi diuini extirpatores & eradicatores : & vt in
libertate Christiana constanter permaneant, nec patiantur
sibi & conscientijs suis laqueos iniici prohibitione cibo-
rum à Rege Babylonis Romanæ, habitante in Aegypto
verè tenebricosa. Quin etiam instruit atq; informat, quid
porrò faciendum, si magistratus eos ob violatas leges mul-
cta pecuniaria afficere velit, aut aliud supplicium determi-
nare,

nare, ne expauescant, nec sinant Christum ex cordibus es-
ripi, sed cum Centurione coram cruce Christi edant con-
fessionem suam: Hic verè est Filius Dei. Idem remittit *Matth. 27.*
eosdè ad aureas verbì diuini fodinas, & aperit venas quas-
dam metalli spiritualis & cœlestis, deducens ad eloquia
Dei pura, quod sint desiderabilia super aurum & obrizum *psal. 19.*
multum, & dulciora super mel & fauum.

Vocatus Gotham ad munus docendì verbum Dei, & *Vocatio My*
gubernandi Ecclesias Thuringicas, quod accidit anno M. *conij ad Ecc*
D. XXIV. circa festum Assumptionis Mariæ virginis, *clesiam Go*
vixit cum Collegis annos viginti duos in summa pace & *thanam.*
concordia, q̃modo ea de re ipsius Myconij verba sonant:
Cucurrimus, certauimus, laborauimus, pugnauimus, vici- *Concordia*
mus & viximus semper coniunctissimè, vt admiratione af- *Myconij cū*
ficerentur plurimi super illa rara fratrum *συμβίβασιν δὲ φίλων* *Collegis.*
διελθῶν & coniunctione. Cuius similiter mentionem facit *Epist. Myc.*
in Epistola ad consiliarios Electorales, de precioso vnguẽ, *ad Consil. E*
to, quod effuderat mulier super caput Christi accumben- *lecto. de pres*
tis, & Iuda dolente, sibi lucrum furtiuum perijssè. Ibi enim *cioso vnguẽ*
ait: Se vix in vlllo loco alio reperire potuisse Collegas mo- *to, Mat. 26.*
destiores, fideliores, patientiores, tranquilliores, sedatio-
res, magis pios, magis pacificos, quàm quales Gothæ Dei
beneficio nactus fuerat. Qua etiam fortuna se vsum, sapi-
us mihi prædicauit vir Reuerendus & senex iam septuages-
narius D. Bartholomæus Gernhardus, diuinitus accidisse, *D. Barthol.*
inquiens, vt haberet collegas obsequentissimos, à quibus *Gernhardus.*
coleretur, obseruaretur, suspiceretur. Quàm verò sit ea
iucunda & suauis, vtilis ac necessaria, Spiritus sanctus o-
stendit *Psal. 133.* inquiens: Ecce quàm bonum & quàm iu-
cundum, habitare fratres in vnum. Et de eadem mandata
extant *1. Cor. 1.* Obsecro vós fratres, per nomen Domini
nostri Iesu Christi, vt idem loquamini omnes, & non sint

inter vos dissidia, sed sitis *καὶ ὁμοθυμῶν*, coagmentati eadem mente & eadem sententia. Philip. 2. Similiter affecti sitis, eandem charitatem habentes, vnanimes, idem sentientes, ne quid fiat per contentionem, aut per inanem gloriam, sed per humilitatē animi alium quisq; se præstantiorē existimet. Et cum Satan spiritus ille malignus, coniunctionem & pacem Ecclesiæ inuideat, & nunq; non inturbare illam, dissidiorumq; semina ferere conetur, opus est certis artibus & virtutibus siue adminiculis, quibus foueatur & seruetur concordia. Ad eam verò rem requiritur:

Requisita
concordiæ.

1.

Primò, Humilitas animi vera, frenans superbiam omnium ferè in vita dissidiorum & rixarum fontem. Ideo tam vehementer eam vrget Apostolus Rom. 12. Nolite altum sapere, sed humilibus vos accommodate. Ephes. 4. Cum omni humilitate, cum mansuetudine, cum longanimitate studentes seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.

2.

Deinde opus est Mansuetudine & patientia, quæ frenet & moderetur iracundiam, toleret aliorum infirmitates, condonet iniurias, cedat de suo iure. Sicut enim orbis cœlestes miris anfractibus sibi mutuò cedunt, vt suam harmoniam & concordiam eo quasi obsequio tueantur: Ita Collegas in officio decet cedendo, ferendo, & placidè contranitendo, concordiam retinere, qua magis opus est Ecclesiæ, quàm sinistræ manui dextera, iuxta Basilij dictum.

3.

1. Cor. 13.

Tum etiam opus est Dilectione, quæ teste Apostolo patiens est, benigna est, non inuidet, non agit perperam, non inflatur, non est fastidiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniusticia, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Exorta itaq; in Thuringia Euangelij luce ministerio Myconi, crescere & florescere etiam cœperunt Scholæ & politia

Politix. Quemadmodum enim Petrus Apostolus amplis- Luce 8:
simum & yberrimum inde percepit fructum, quod Christo
docenti in littore maris, Cymbulam, qua pro suggesto vte-
retur, commodauerat, & copiosissimam piscium multitudine Fructus rea-
nem conclulit, præter omnem spem & opinionem: sic De- florescentis
us mirificè benedixit Ecclesiæ & Reipub. Gothanæ, pro- Euangelij
pter cathedram Christo commodatam. Hanc amplissimam in Germani-
compensationem Christus etiam communi patriæ nostræ
Germaniæ exhibuit, quod ei cathedram in Ecclesijs & scho-
lis concessit. Nani hætenus sic Germaniæ benedixit De-
us propter cathedram Christi, vt honorum, diuitiarum, op-
pum & ædificiorum splendore, tempore reflorescentis Eu-
angelij, magis quàm vnquam antè excelleret. Et hæc tan-
tùm corporalis est remuneratio: Spiritualis verò longè est
amplior & opulentior, quod Spiritus sanctus per verbum
& Sacramenta accendit fidem, nouam lucē in cordibus hu-
manis, regenerat homines, donat remissionem peccatorū,
conscientiam lætam, impellit ad preces & gratiarum actio-
nem. Vbi autem Christus non habet cathedram, quomodo
illa ei hodie in Ecclesijs Romanæ meretricis denegatur, ibi
sunt tenebræ, ibi regnat ille fortis armatus, tenens atrium su- Luce 11.
um, ibi sonat falsa doctrina, ibi sunt idolatræ, & persecuto-
res veræ doctrinæ, adeoq; ipsissimus Antichristus. O felici-
cem ergò & fortunatā Germaniam: Quid potest dignius,
vel augustius, vel dulcius dici, quàm pias ciuitates & regio-
nes in Germania, & hæc etiam in Thuringia esse Cymbu-
lam, in qua ipse Iesus Christus sedet, docens de regno Dei,
de remissione peccatorum & vita æterna.

Claruerunt etiam tùm temporis in Ecclesijs reforma-
tis illustra lumina, & verè mundi miracula, viri excellentis- Tempore
simi, Vuitebergæ Lutherus, Philippus, Pomeranus, Mag- Myconij cla-
deburgæ Amsdorffius, Augustæ Urbanus Rhegius, Tu- ruerunt in
bingæ excellentij. Ecclesia viri

bingæ Erhardus Schnepfius, Halæ Sueuorum Ioh. Bren-
 tius, Norbergæ Vnus Theodorus, Hamburgi Iohannes
 Aepinus, Lubecæ Hermannus Bonnus, Vratislaviæ Ioh.
 Hellus, Ambrosius, Moibanus, in Borussia Ioh. Brunn-
 nus, Paulus Speratus, Ioh. Poliander, Stetini in Pomerania
 Paulus Rhodius, Cygneæ Hausmannus, Numburgi
 Nicolaus Medlerus, Vinariæ Iohannes Cæsius, Erfordiæ
 Ioh. Langus, Egidius Mechlerus, Hoc modo Dominus
 dedit verbum suum cum magno exercitu Euangelistarum,
 Psal. 68. Quemadmodum enim in extruendo ædificio ma-
 gno adhiberi solent architecti, qui opus gubernant, & fun-
 damentum ponunt, & fabri, qui super fundamentum ab
 architecto positum ædificant : Ita Deus hoc nouissimo
 mundi tempore domum Ecclesiæ suæ ruinosam, miserè ac
 horribiliter destructam ac deuastatam per Aprum Roma-
 num reædificaturus, excitauit Lutherum magnum illum
 architectum, per quem repurgauit Ecclesiam, & qui scri-
 pturam vtilissimis Commentarijs explicauit, Biblia in ser-
 monem popularem vertit, sectas plurimas refutauit, ve-
 rum cultum restituit, reuelauit Antichristum, filium perdis-
 tionis, extruentem super fundamentum Prophetarum &
 Apostolorum, lignum, fœnum, stipulam, humanas tradi-
 tiones & opiniones, quæ puram doctrinam obscurârunt,
 vt sunt Monachatus, doctrina de satisfactionibus, de Pur-
 gatorio, de Sacrificio Missæ, de inuocatione Sanctorum,
 & alia plurima. Huic verò architecto sapientissimo adiun-
 xit fideles *παρρησιᾶς*, qui ipsum iuuarent, latius exponen-
 do salutarem Ecclesiæ doctrinam, illustrando eam exem-
 plis, repetendo & inculcando auditoribus. Hoc certè non
 fuit opus humanum, sed à Domino factum est illud, & est
 mirabile in oculis nostris.

2. Theff. 2.
 1. Corm. 3.

Psal. 118.

Deceden

Decedente ex hac vita Friderico, optimo & sapientissimo Principe, Duce Saxoniae Electore, illico subsecutus est Rusticorum tumultus, anno M. D. xxv. in quo sedando Myconius plurimum posuit operæ. Gotham oppidum & totam διοίκησιν, cum ubique saeuiret animis ignobile vulgus, pacificam & tranquillam precibus, obtestationibus & hortationibus conseruauit, ne quid ibi turbarum moueretur, & prohibuit, ne se cum seditiosis rusticis coniungerent. Agmen rusticorum, qui conuenerant Ichtershufsi, ad di-
ruendas & demoliendas arces Gleichenam, Molybergam,
Vuachseburgum, & ad delendas familias nobiles, oratio-
ne vnica sic compescuit & dissipauit, ut à malo proposito
desisterent. Sapientissimè enim considerauit, quem tan-
dem eiusmodi perniciosæ machinationes sortirentur euen-
tum, iuxta illud Pindaricum: *ῥᾶδ' ἰοῦ μὲν γὰρ πόλιν σῆσαι καὶ* Pindarus
φαιροτέροις, ἄλλ' ὡς χώρος αὐθις ἔοσαι, δύσπαλές δ' ἡ γίνεται ὄζα Pythiorum
πίνας, ἢ μὴ θεὸς ἀγεμόνεσσι κυβερνατὴρ γήνηται, Facile est, in- hyn. 4.
quit Pindarus, Poeta Lyricus *μεγαλοφρονότατος*, urbem mo-
uere, etiam paucioribus, at pristino restituere statui graue
est, è vestigio, nisi ipse Deus etiam ductoribus gubernator
factus fuerit. Fuit igitur Myconius verè ille *διαλλακτὴς*
σεμνόντατος, quem Maro in Aeneide describit significantis-
simè:

P. Virg. lib.
1. Aeneid.

*Ac veluti magno in populo cum saepe coorta est
Seditio: sauitq; animis ignobile vulgus:
Iamq; faces et saxa volat, furor arma ministrat.
Tum pietate graue, ac meritis, si fortè virū quem
Conspexere: silent, arrectisq; auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

G

Eodem

Barbara filia
Frid. Myc.
M. Cyriacus
Lindeman.
Frid. Myco-
nius filius.

Eodem anno uxorem duxit Myconius Margaritam, honesti ciuis Gothani filiam, ex qua sobolem Dei benedictione suscepit numerosam. Filia Barbara post obitum parentis matrimonio iuncta fuit M. Cyriaco Lindemanno, celebri olim Scholæ Gothanæ Rectori. Fridericus filius patri $\phi\mu\acute{\omega}\nu\mu\theta$, militans in Musarum castris in Academicis Germaniæ præcipuis, Lipsensi, Vuitebergenſi, Ienensi, morte nimis immatura præreptus, triste sui desiderium amicis reliquit, & sine dubio paternarum virtutum fuisset æmulus felicissimus, si fata diutius huius lucis vsura frui permisissent.

Disputatio
Myco. Duss-
feldorpij, cū
monacho Io-
ha. Corbach.
dñca Septua.
año 1527.

Cæterum Myconius ille magni nominis Theologus, etsi diuinitus vocatus esset ad gubernationē Ecclesiæ Gothanæ, ab illustrissimō tamē Saxonix Electore ad alia multa negocia adhibitus fuit, perinde vt in magna quadam domo paterfamilias opera ministrorum non in vna solū, sed plurimis alijs rebus administrandis vtitur. Cum illustrissimo Electore Ioh. Friderico ter in Belgium profectus est, Coloniam Agrippinam urbem potentissimā, & Vbiorum terram, Ducatum Iuliacensem & Cliuensem apprimē per-
lustrauit. Dusseldorpij Christum in publicis concionibus publicē confessus est, non sine vitæ discrimine, & cum monachis Coloniensibus disputatione publica congregati minime dubitauit, quæ paulo post prælo subiecta publici iuris facta est, ad quam sic satis frigide, infulsē & ineptē respondit Franciscanus quidam Monachus Coloniensis, frater Iohannes Corbachius. Sed vicit, triumphauit, & palmam reportauit Christus, benedictus in secula. Simili constancia & fide Myconius puram Euangelij doctrinam professus est Brunſuigæ, Cellæ Saxonū, Sufati, & alibi in Vuestphalia. In Conuentibus itemq; & Comitij publicis, Smalcaldiæ, Francofordiæ, Noribergæ, adhibitus in consilium, magno

magno spiritu & zelo religionis negocia tractauit, gloria
 am Dei, Ecclesiarum salutem & emolumentum pro sua vi-
 ri promouendo, adeo vt nihil prius faciendum putaret,
 quam vt Deo seruiret. In eum finem missus est in Angli-
 am vnà cum Francisco Burchardo, Ducum Saxoniae Can-
 cellario, viro excellenter docto, vtriusque linguae Graecae &
 Latinae peritissimo, oratore disertissimo, cui tum vix par-
 Germania habuisse creditur. Homerus, Poetarum rex diui-
 nissimus, commendat Vlysem, quod πολλῶν ἀνθρώπων ἰδὲ
 ἄστεα καὶ νόον ἔγνω, multas viderit vrbes, & multorum hominum
 mentem nouerit, & idcirco prudentissimum fuisse indicat,
 quomodo etiam teste Strabone, prudentissimi heroës apud
 veteres sunt existimati, qui in longinquas regiones pere-
 grinati fuissent. Quam ob causam eundem Homerus πολύ-
 τρον appellat, quasi ex diuersorum morum obseruatione
 ad maiorem prudentiam animus ipsius fuerit informatus.
 Non enim exiguum ad prudentiam comparandam admi-
 niculum est, variarum gentium mores cognitos explora-
 tosque habere. Quapropter non nobis ipsis aut Patriae no-
 strae tantum tribuere debemus, quasi nullo alio in loco, quam
 vbi nati sumus & educati, scientia, eruditio ac prudentia
 sedem habeat. Quemadmodum enim in vno solo omnia frus-
 ctuum genera non pullulant, quantumuis pingui & culto;
 sic vnica patria omnium rerum sufficientem notitiam suppedita-
 re non potest. Eodem modo iter Anglicanum Myconio non
 parum utilitatis attulit, quod quemadmodum Ioha. Baptista in
 aula Herodis obseruauit mores, ingenium & naturam hypocri-
 tarum, ita Myconius Henrici 8. Angliae Regis fraudes &
 imposturas olfecit. Sub initium nascentis Evangelij acer-
 rime se opponebat Luthero Anglorum Rex, datis literis ad
 Saxoniae Duces, Fridericum, eiusque fratrem Iohannem, offen-
 sus libello Lutheri de captiuitate Babylonica, & indicabat,

Iter Mycon-
 nij in Angli-
 am, cum Fr.
 Burchardo
 Vinariensi,
 año 1538.
 Home. odyss.
 lib. 1.

Strabo lib. 2.

Matth. 14.
 Marc. 6.

Tom. 2. Ien.
 germ. pag.
 187. b.

Tom. 2. lat.

quantum ab eius doctrina periculum ipsis immineat, totiq;
Slcid. lib. 4. Germaniæ, nec esse quod contemnant aut paruisfaciant,
sed nascenti malo statim occurrant.

Slcida. l. 9.

Cum autem repudiata coniuge Catharina Hispanica Pontifex Romanus, cuius implorabatur auxilium, diuortium à Rege factum non probaret, quod Carolus V. Cæsar Catharinæ nepos esset & sorore, cuius potentiam Papa metuebat, indignatus Rex grauissimum odium in Pontificem concipiebat, continuo decretum promulgans, ne quis Episcopo Romano supremam potestatem tribuat, neue tributum annuum soluat, sed singuli se Regem, & per Angliam Ecclesiæ caput agnoscant, Abiecta itaq; religione Papistica, mittebat ad protestantes Legatos, per quos maximè captabat beneuolentiam Saxoniarum Principum, significans, quod per Angliæ Regnum facta sit religionis mutatio, abolita magna pars errorum, de communi omnium consensu Papatus imposturæ & regni finibus sint exterminatæ, non secus atq; per Saxoniam. Et quod ad eum finem tendant omnia regis consilia & actiones, quod velit deinceps cum Germaniarum Principibus coniungere omnes suas vires & copias, si quid Antichristus aduersus reformatas Ecclesias molitur. His dictis & consilijs Regis phaleratis in optimam spem erigebantur Angli, fore ut Christus etiam apud ipsos deinceps haberet hospitium ac domicilium, & se cum Ecclesijs Germanicis reformatis amplexuros Confessionem Augustanam. Conferebat Myconius cum tribus Episcopis & quatuor Theologiæ Doctoribus, de singulis capitibus doctrinæ Christianæ, in confessione Augustana & eius Apologia compræhensis. Tractabatur præterea causa matrimonialis, petente Rege uxorem sibi dari Annam, Principis Cluensis Gulielmi & Sybillæ Saxonicæ sororē, eleganti forma virginem, quam
tamen

Slcid. l. 12.

tamen tyrannus ille paulò post repudiatam à se reiecit. Eo² *Sleid. l. 13.*
dem modo religionis negocium non seriò, sed ludicrè &
astu tractabat: de religione enim decreta faciebat, sub for² *Sleid. l. 12.*
ma panis & vini verum esse & naturale corpus atq; sangui-
nem Christi, & à consecratione non amplius manere sub-
stantiam panis & vini: Perceptionem integræ cœnæ non
esse necessariam ad salutem, & sub vtralibet specie conti-
neri totum Christum: Sacerdotibus non licere contrahe-
re matrimonium: vota castitatis esse seruanda: Missas pri-
uatas retinendas: auricularem & arcanam confessionem
delictorum esse vtilem & necessariam. Edebat etiam hæc
vulpecula paulò post nō obscura signa suæ hypocrisis, nam
Hugonem Latimerum & Salisberiensem Episcopum reli- *Sleid. l. 12.*
gionis causa diu captiuos tenebat, Thomam Cromelium, *Sleid. l. 13.*
quem ex infimo loco euexerat ad summam dignitatem, ca-
pite plectebat: Robertum Barnum Theologum, virum
sanctum & eruditissimum, Londini igne cremabat: Tho-
mæ Bequeti, qui fuerat olim Archiepiscopus Cantuarien- *Sleid. l. 12.*
sis, exempta è sandapila gemmis & auro supra modum ex-
ornata, ossa igne substrato, Vulcano tradebat, Ecclesijs
bona rapiebat, & fisco regio applicabat.

Reuersus Myconius ex Angliā, vocatur ab Henrico
Saxonix Duce, ad visitandas & reformandas Ecclesias *Visitatio Eco-*
Mishicas, vnā cum Luthero, Iusto Iona, Casparo Crucige- *clesiarū Mis-*
ro, Iohanne Pfeffingero, Iusto Menio, & alijs. Quæ Visi- *nicarum.*
tatio hac occasione accidit. Anno M. D. xxxix. die 24. *Sleid. l. 12.*
April. Georgius Saxonix Dux vitam cum morte commu-
tabat, cui in gubernatione Henricus frater succedebat, si-
quidem Georgij filij ante patris obitum decesserant. Et si
enim Georgius testamento cauerat, ne forma religionis
mutaretur, & mitteretur legatio ad Ducem Henricum, vt
assentiret, & adderentur magnæ pollicitationes de magna

argenti copia, si voluntati fratris morem gereret: respon-
 debat tamen Henricus constanter, se nequaquam opum causa
 ab agnita veritate puraque religione discessurum, addens hæc
 verba memoria digna: Vestra hæc legatio planè mihi re-
 præsentat illud, de quo proditum est in sacris literis, cum Sa-
 tanas Christo polliceretur totius mundi regna, modò pro-
 cumbens ad pedes ipsum adoraret. Cum ergò iam Dux
 Georgius è vita discessisset, Henricus occupata tota pro-
 uincia, inuitis omnibus Pontificijs, Ecclesiarum reformatio-
 nem suscepit. Nactus itaque Georgius est successorem &
 hæredem, quem nunquam optauerat. Et is, quem cane peius
 & angue per omnem vitam acerbissimè oderat, nimirum
 Lutherus, Lipsiam accersitus à nouo Principe, docet pub-
 licè, & reformationis facit initium. Quem sequuntur cæteri
 σωατορες, singuli sedulo suum officium facientes, non se-
 cus atque apiculæ in aluarijs & mellificio distinctas habent
 operas, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, gut-
 tasque lanugine totius corporis, aliæ struunt, aliæ poliunt, al-
 liæ suggerunt, aliæ comparant. Eodem modo Myconius in
 alueolis Ecclesiasticis sedulo sua obuiuit munia, visitando,
 docendo, disputando, refutando Sophistas Pontificios. Dedit
 etiam Deus voci suæ vocem roboris, ut labores Myconij
 non essent infrugiferi. Quomodo enim descendit imber &
 nix de cælo, & illuc non reuertitur, sed inebriat terram, &
 germinare eam facit: sic verbum quod egreditur de ore
 Dei, non reuertitur vacuum. Cum enim Christus Lipsiæ et-
 iam ingrederetur templum Dei, & eijceret vendentes &
 ementes in templo, mensasque numulariorum & cathedras
 vendentium columbas euerteret, & acerrimè inueheretur
 in profanatores templi, facientes è domo orationis spelun-
 cam latronum, omnes Papistæ, veluti cohortes militares
 ad verbum Iesu in horto conterritæ, abibant retrorsum, &
 cade-

Dux Hen-
 rici vox me-
 morabilis.

Iohan. Mat-
 theus in vi-
 ta Lutheri.

Psal. 68.
 Isaie 55.

Matth. 21.
 Luca 19.

Ioha. 18.

cadebant in terram, & conuertebantur in fugam, marcesce-
bant flores in tectis nascentes ad gētum Euangelij, cuius
calorem tanquam vrentis & torrefacientis solis, ferre non
poterant.

Finito hoc opere visitauit Myconius omnes Ecclesias
Thuringicas, & constituit scholas, adiutus à Phil. Melan-
thone, Iusto Menio, duobus nobilibus Plaunicio & Vuan-
genhemio, & Iohanne Cotta. In hac visitatione deputata
sunt docentibus in Ecclesijs & Scholis certa stipendia, &
huius viri pio studio & opera Dei beneficio hoc etiamnum
tempore in Thuringia florent Ecclesiæ & Scholæ, viuunt &
prædicatur Christus, florent artes & linguæ, & plantati in
domo Domini perpetuò vt plantulæ virent, & fructum fe- Psalm. 92.
runt. Reliquum vitæ curriculum, quod ei natura exiguum
circumscripsit, docendo, orando & scribendo literas
consumpsit, quo labore occupatus erat quotidie, siquidem
summi viri in Academijs & Ecclesijs præcipuis, crebrò ad
ipsum scriptitarent, nimirum Martinus Lutherus, Philip-
pus Melanthon, Caspar Cruciger, Iustus Menius, Basilius
Monnerus, primus instaurator Scholæ Gothanæ, Iohan-
Langus, Egidius Mechlerus, Iohannes Marcellus, Mat-
thæus Ratzenbergerus. Hi enim cum alijs plurimis suspi-
ciebant, admirabantur & venerabantur Myconium, pro-
pter excellentem pietatem, solidam eruditionem, arden-
tem zelum ac spiritum, iudicij dexteritatem, animi candor-
em, in confessione constantiam, authoritatem & grauita-
tem singularem.

Eius rei vnicum modò in theatrum p̄duco testimoni-
um, quod publici iuris fecit & in communē Ecclesię utilita-
tem, cum nonnullis selectioribus clarorum virorum Epi-
scopis euulgauit vir Reuerendus & doctissimus M. Cyria-
cus Snegalsius, progener Myconij, & gener Lindemanni,

amicus *Semanam.*

M. Cyr. Snea-
gals. Pastor
Eccles. Frid-
richrodianæ
ad syluam

amicus & frater meus in Christo charissimus. Scripsit Myconius de Lutheri in Epistolam ad Galatas commentario iudicium, quod cum magni sit ponderis & momenti, integrum recensebimus.

Iudiciū Myconij, de Commentario Lutheri super Epistolam ad Galatas.

Coloss. 1.

1. Cor. 6.

2. Cor. 10.

Sinon ~~atheos~~ es, inquit Myconius, & contemtor religionis, resurrectionis mortuorum, iudicii extremi & vitæ æternæ, oro te, vt quæ sit vera doctrina religionis Christi, quæ vnica, sola & propria religio est, ex hoc libro cognoscas. In hoc enim, velut in aureo & gemmeo scrinio, reposita sunt explicatissimè mysteria à seculo abscondita, & scientia ac sapientia, bonitas & voluntas Dei: quæ est articulus de iustificatione nostri, id est, de remissione peccatorum, acceptione nostri in Christum, vt cum illo simus concorporales atq; comparticipes omnium per fidem: mortis, sepulturæ, descensus ad inferos: rursus resurrectionis, ascensionis, sessionis ad dexteram patris, regni Dei & vitæ æternæ. In illo etiam iam spiritus discernimus, Angelos iudicamus, & deijcimus omnem potentiam, se extollentem aduersus scientiam Dei. Hæc omnia explicatiùs traduntur in hoc vno D. Martini Lutheri commentario, quàm in omnibus Patrum libris, qui vnquam à seculo scripserunt, quorum libri extant. Quos si omnes perlegeris & relegeris, oportebit te adhuc dubitare, vnde sit remissio peccatorum, vnde vera satisfactio, & quomodo hæc verè, certè, firmiter & indubiè accipiamus, retineamus, & perpetuò possideamus: Vnde pignus Spiritus, vnde nouitas, vnde quòd non imputantur nec condemnant reliquæ peccati in carne remanentes, quæ in morte abolentur. Neq; tam clarè docuerunt, quid sit Lex, quod eius officium, quis eius vsus: Quid rursus Euangelium, quid promissio, quid fides: sed tenebræ sunt omnia: quia articulum de iustificatione per solam fidem non plenè tradere potuerunt. Inuenies

nies etiam hinc ostensas illas vltimi seculi vltimas tenebras, spiritum illum homicidam & mendacem, qui non corporum modò, sed etiam animarum vitam, id est, veritatem & Dei cognitionem per Christum extinxit, sepeliuit, & profligauit plus quàm omnes tenebræ Aegyptiorum facere potuerunt: doctrinam scilicet Sophistarum de iusticia legis, potentia liberi arbitrij, de faciendo quod in se est, de prima gratia, de merito congrui & condigni, de fide formata & informi, de formali, & portentis illis, ac horrendis vlulatibus Lamiarum infernalium, Scotistarum, Thomistarum, Albertistarum, Occamistarum, quorum sonos ac voces vix aliquis tota vita discere, & quid nam vellent tam præstigiolis vocabulis significare, intelligere potuit. Oportet me ipsum confiteri id quod verum est. Ego penè à puero sum versatus in eorum scholis, & in illis suprà multos coætaneos meos profeci, verum comperi tandem, facilius & illustrius in hoc paruo libello mendacia illa, quæ illi pro primis principijs & demonstratiuè veris habuerunt, ac velut diuina oracula adorauerunt, pponi, ac rursus confutari, quàm ea omnes eorum libri subtiles, seraphici, sancti & irrefragabiles proponunt. Eriam si legas omnes Scotos, Alexandros, Bonauenturas, Thomas, & trecentos illos Scriptores in libros Sententiarum: deinde fontes, abyssos & magna illa maria, Drecketum Papæ, Drecketales, & magistros Summarum, Angelos, Hostienses, Artaxanos, Rosellas, & reliquas haras immundi pecoris consulueris: citius, inquam, ex hoc paruo libello Lutheri intelliges, quid dicere voluerint, quid senserint, quàm si totam tuam vitam in illis legendis, relegendis & expendendis infumas.

Christus coram oculis tuis in hoc libello se iterum velut in monte Thabor transfigurat, & fit eius facies, vestis, cor, affectus, imò ipse totus coram te velut Sol, splendens, Mat. 17.
Marc. 9.

H

duc, Lucæ 9.

dus, illustris, gloriosus: Et vides, quàm pulchrè cum eo col-
 loquantur Moses & Elias, Lex & Prophetæ, de nulla alia
 re, quàm de excellenti opere restitutionis nostræ, remissio-
 nis peccatorum, solutione debitorum, interfectione mor-
 tis, & resurrectione ac ascensione, missione Spiritus san-
 cti, vocatione gentium, & restitutione vniuersorum: quod
 fecit in Hierusalem, & deinde per orbem terrarum vsq; ad
 finem seculorum. Qui hæc audit, Christum audit: qui hoc
 testimonium accipit, accipit testimonium Spiritus sancti &
 discipulorum: quoniam illi testimonium perhibent de Chris-
 sto, quem viderunt, audiuerunt, contrectauerunt, plenum
 gratia & veritate, & qui, quæcunq; accepit à patre, dedit
 nobis. Qui verò hæc contemnit, Deum, Spiritum sanctum,
 Discipulos, veritatem, gratiam Dei, vitam æternam, ac sal-
 lutem propriam contemnit. Non enim est aliud nomen
 sub cælo datum hominibus, in quo oporteat te quærere
 remissionem peccatorum, aut saluum fieri, nisi nomen Do-
 mini nostri Iesu Christi. Neq; est alia satisfactio pro pecca-
 tis, quàm Agnus ille, qui est victima pro nobis, & pro pec-
 catis totius mundi, cui debetur victoria, virtus, honor &
 gloria, in secula seculorum, Amen. Hactenus Myconius.

Declamat. Cum Iohannes Saxoniae Dux Elector, Princeps pi-
 Philippi tō. entissimus, & religionis studiosissimus, Ecclesias in tota
 2. in orat. de ditione inspicere iuberet, præfici idoneos Pastores, & egen-
 Iohan. Duce tibus Ecclesijs redditus attribuere, & in ea inspectione Go-
 Saxo. Elect. thani & Isenacenses peterent confirmari donationem, quæ
 habita anno Ecclesijs facta erat, & in literis recitassent Fridericus My-
 1550. die conius & Iustus Menius dictum, quod extat apud Isaiam:
 9. Decemb. Reges erunt nutritores Ecclesiæ, & Reginae nutrices: &
 Isaiæ 49. scripssent hoc dicto commone fieri Principes & Respub-
 licas, vt cogitent, ideo genus humanum conseruari, & con-
 socias

sociatum esse imperijs, vt inde colligatur Ecclesia. Quare
præcipuum sit munus Principum, consulere illi parti ho-
minum, & tegere ac fouere Ecclesias, & earum Doctores.
Hac Isaia sententia, quæ tunc nondum sæpè citata erat, ita
delectatus est optimus Princeps, vt iusserit mox sibi locum
in Isaia monstrari, & donationem benignè confirmauit.

Hanc narrationem ideo inferendam historiæ Myco-
nianæ iudicauit, vt appareat, quàm salutare Ecclesiæ orga-
num fuerit Myconius, & quanta eius apud Principes au-
toritas, & quid summi viri in Principum aulis de hoc ma-
gni nominis Theologo senserint.

Quòd verò Myconius in omnibus doctrinæ Christianæ ^{Epistola Fr.}
capitibus senserit cum Ecclesia Vitebergensi, & cum ^{Myc. ad Vi-}
illa sanam doctrinam de Sacramento Cœnæ amplexus, ^{tum Theodo.}
Zuinglianae sectæ ambiguitates & cothurnos vnà cum Lu- ^{de concordia}
thero & huius fidelibus Symmisticis improbauerit & dam- ^{Vuitebergæ}
nauerit, in doctrinæ etiam veritate & synceritate constans ^{inita inter}
atque immotus permanserit, satis testantur literæ eius, scri- ^{Lutherum et}
ptæ ad Vitum Theodorum, de Concordia Vuitebergæ ^{Bucerum, an}
inita inter Lutherum & Bucerum, aão M. D. XXXVI. ^{no 36.}
quibus integram narrationem totius actionis, cui interfu-
it, complexus est, insertam historiæ Confessionis Augu-
stanae, oppositæ nothis atque adulterinis & manifestè fal-
sis narrationibus personati ac fictitij cuiusdam Ambrosij
Vuolfij & similium, contendentium, Cinglianorum som-
nia approbasse Lutherum, & hanc Myconij Epistolam,
quæ ipsis Calvinisticis meherclè sudes est in oculis, esse su-
spectam ac supposititiam, quod Spiritus ille Cinglianorum
mendax, qui in veritate non stetit, & in quo veritas non
est, pro sua singulari mentiendi libidine facit.

Quis verò adeò est stolidus, oculis & mente captus, qui non videat, quòd laruatus hic Vuolfius, odio sinceritatis Lutheranae, & amore impuritatis Zuinglianae, ausit bonum virum Myconium, testem *αὐτόπλη*, omni exceptione maiorem mendacii arguere, & falsum verum, atrum album, tenebras lucem dicere: cum tamē iuxta illud Plautinum, pluris sit vnus oculatus testis, quàm decem auriti. Tutius igitur est credere vni testī oculato & veraci, quàm

Historia Cō- multis alinis auritis & mendacibus. Sed hac de re porrò
fectionis Au- consulatur historia Confessionis Augustanae, contexta à
gustanae, A- Theologis libri Christianae Concordiae autoribus, quae te-
pologiae Cō- statur manifestè, Bucerum cum socijs suis ad Lutheri sen-
cordiae an- tentiam accessisse, licet postea illam retractârît, & iterum
nexa. ad volutabrum & vomitum caninum Cinglianae doctrinae
2. Pet. 2. sit reuersus.

Myconius
habet spiritū
ppheticum.
locl. 2.

Myconij va-
ticinia duo:
1. De repur-
gatione do-
ctrinae.
2. De exci-
dio castri
Grimmē-
stein.

Psal. 45.
Prou. 18.

Quòd etiam quodammodo spiritu præditus fuerit Pro-
phetico Myconius, inde liquet. Primum enim iuxta dictū
loelis: Prophetabunt filij vestri, & filiae vestrae, & senes
vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones vide-
bunt: Somnium & visionem habuit verè Propheticam &
Angelicam, quòd præuidit, Lutherum impugnaturum es-
se Papatum, mutaturum doctrinam, & reformaturum Ec-
clesias. Deinde animus ipsi præfagijt excidium & demoli-
tionem castri Grimmstein. Cum enim opus esset absolu-
tum anno M. D. XL. assignauit in Chronico Gothano
hæc verba: Quod manus hominum fabricant, manus ho-
minum vicissim destruere possunt, præsertim quando Do-
mini ex munitionibus Deum faciunt, in illis fidunt, super-
bè gloriantur, & alijs insultant. Vbi Babylon? vbi Tyrus?
Pij longè aliter sunt affecti, fiduciam suam in Deum po-
nunt, & inquiunt: Deus noster, refugium & virtus. Arx
munitissima siue turris fortissima, nomen Domini. At tu
mi Des

mi Deus, dicebat porro, quia opus hoc magnificum tantis sumtibus extructum est, largire quaeso, ut recte usurpetur, & fortuna utatur prosperiore ac æquabiliore, quam aliæ arces & munitiones.

Biennio ante obitum edebat scriptum, cuius supra etiam fecimus mentionem, ad Consiliarios Electorales, de beneolente & precioso unguento, quo Maria soror Lazari ac Marthæ, Dominum Bethaniæ mensæ accumbentem inunxerat, & Iudas proditor ægre tulerat. Qua historiola allegoricè taxabat quorundam inuidorum & maleuolorum hominum avaritiam, cum Elector Saxoniae pia quadam animi intentione in animum sibi induxerat, ministrorum in Ecclesijs & scholis stipendia augere, quod illi hoc opere vehementer fuerint offensi, & longo tempore plumbeas iras gesserint. Maria, soror Lazari, Gothæ volebat trecentos denarios expendere, comparandi preciosi unguenti causa, & ungendi Christum, adeo ut odor ille per totam domum diffunderetur. Sed illico oboriebatur fremitus, grunnitus, murmuratio, indignatio: Ad quid perditio hæc? poterat venundari hoc unguentum (frumentum dicere volebant) plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus: Quid opus est tantos sumtus impendere in unum Galilæum, huius avaros sacrificulos, ludimagistros contemptos, scholasticos simplices & ociosos? Quare necesse habebat Myconius, ut Iudam avarum acerrimè increparet, Electorem verò, ut domus Bethaniæ custodem & curatorem hortaretur, quod trecentos illos denarios, Deo semel à maioribus dicatos, accuratè obseruaret, nec ad alios usus transferri pateretur. Hac graui & seria adhortatione quid profecerit apud optimum Principem, statim subiungit, nempe quod ex illa hora Discipulus matrem Domini in cruce pendentis suscepit,

Mat. 26.

Marc. 14.

Ioh. 12.

Mariæ Bethanicae beneficiæ, et Iudæ proditoris indignatio.

Ioh. 19.

Myconij
morbus, et p
illo preces
Lutheri, qui
bus fuit con-
seruatus.

Hæc Luthe-
ri epistola ex
tat germani-
cè conuersa
Tom. 7. Ien.
p. 393.

M. Georgius
Rorarius.

Cum Anno Domini M. D. XLI. Myconius grauiter
decumberet, & tabe, quam *phthisis* appellare consueuimus,
consumeretur, & eius rei causa ad Lutherum scriberet,
decumbere se quidem, non autem lethaliter, sed vitaliter
agrotare, adeo placuit Luthero hæc recta & sancta inter-
pretatio, & quod perspiceret, ipsum planè imperterritum
contra mortem, seu somnum istum communem omnibus
pijs, & cupidum solui, & esse cum Christo, vt responde-
ret, ipsum iam non moriturum, sed diutius in hac vita fore
superstitem, & adderet hæc verba: Ego oro & peto Do-
minum Iesum vitam nostram, salutem & sanitatē nostram,
ne hoc mihi addi etiā sinat malum, vt me superstitē vide-
am te aut aliquot nostrum perrumpere & irrumpere per
velum ad quietem, & me sinatis foris relictum inter Dæ-
mones, & vos præcedere. Peto vt loco tuo me faciat Do-
minus agrotum, & iubeat deponere tabernaculum meum
hoc inutile, emeritum & exhaustum. Et in calce literarum:
Vale mi Friderice, & Dominus non sinat me audire tuum
transitum, me viuo, sed te superstitem faciat mihi: hoc pe-
to, hoc volo, & fiat mea voluntas, Amen. Quia hæc vo-
luntas gloriam nominis Dei, certè non meam voluptatem
nec copiam quærit. Iterum vale: pro te oramus ex animo,
& vehementer tua ægritudine perturbati sumus. Hiscæ
precibus conualuit Myconius, & miraculosè ex ipsa mor-
te excitatus est, quomodo etiā de Theopompo Phthisi-
co proditum est, quod ab Asclepiade sit sanatus. Et hanc
admirandam historiam ipse postea Myconius paulò ante
felicem ex hac vita emigrationem prolixè & copiosè de-
scripsit in duabus Epistolis ad M. Georgium Rorarium,
tū temporis Ecclesiæ Vuitebergenensis ministrum, in qui-
bus miris modis prædicat beneficium Dei, & Deo gratias
agit, quòd Lutheri precibus fuerit conseruatus, & pristi-
næ va-

næ valetudini in morbo desperatissimo restitutus, ita ut legens Lutheri Epistolam, planè sibi visus sit audire vocem Christi; Lazare, veni foràs, Iohan. 11. Et agnoscit ac palàm fatetur, Lutherum fuisse verum Prophetam, per quem Deus in hisce postremis mundi temporibus veram Euangelij lucem reaccenderit, & qui etiam miraculorum dono fuerit præditus, adeò ut morbo planè lethali liberatus, sexennium superstes esset, & eiusdem ardentissimis precibus dimissionem ex huius vitæ ergastulo impetraret.

Quod ergò Lutherus optauit ac voluit, euentu postea fuit comprobatum. Nam sexennio post, cum nimisrum Lutherus diem suum obiret, anno M. D. XLVI. die 18. Februa, ipse Myconius eodem anno, Aprilis die 7. ^{Fr. Myconij} est subsecutus, & carnis suæ fragilis ac mortalis sarcinam ^{dies emortuus} deposuit, & hoc pacto celebris illa vox Doctoris Iusti Iohannis ^{alis.} ratificata & confirmata fuit: Iste vir potuit, quod voluit. ^{D. Iustus} Anteuertit enim Lutherus hunc sanctum virum ^{Ionas.} Fridericum Myconium emigrando ex hac vita, qui superstes fuit Luthero septies septem dies, siue ^{ἐπταήμερος} septem, quomodo id diligenter in Calendario historico annotauit ^{D. Paulus} Paulus Eberus. Cæterum, cum morbi prioris, Phthiseos scilicet ^{Eberus.} recidiuatio fieret, valedicebat Myconius Principi suo Electori Saxoniae Iohanni Friderico, epistola admodum graphicè, piè & patheticè scripta, quàm verè ^{κύνειον ἄσμε} dicere possumus, de qua cantilena Martialis:

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua,
Cantator Cygnus funeris ipse sui.*

In illis postremis literis, quibus calamum scriptorium deponebat, manumq; de tabula tollebat, gratias agebat

bat Deo, quòd excitasset tres Electores in domo Saxoni-
ca, Fridericum, Iohannem, & Iohannem Fridericum, qui
caussæ Lutheranæ patrociniū suscepissent. In illis similiter
longa serie recensuit, quæ beneficia Deus Ecclesiæ suæ
per hoc salutare organon, Lutherum scilicet contulisset,
quòd eius ministerio reuelatus fuisset Antichristus Romanus,
homo ille peccati, filius perditionis, eundemq; ex agro & finibus
Ecclesiæ exterminasset: quòd propter hunc virum Spiritu Christi liberalissimè ditatum Germaniæ be-
nedixerit omni benedictione spirituali, per eum reddiderit
cœlestia bona, Christum in regnum suum restituerit: quòd hanc benedictionem cœlestem & diuinam ultra annos
triginta diuulgauerit multifariā, scriptis infinitis, propositionibus,
concionibus, commentarijs, Postillis, interpretationibus, & maxime
versione sacrorum Bibliorum. In illis etiam consolatur Electorem,
obitu Lutheri vehementer perturbatum, quòd Lutherus nequaquam sit mortuus,
sed nunc demum incipiat viuere spiritus eius. Et quæ admodum
Deus post Christum in cœlum sublatum, dederit Apostolos, Doctores,
& tandem hunc etiam postremū Heliam: ita in toto Christianorum orbe
excitauerit multos præstantes & excellentes Doctores, huius magni
Prophetæ discipulos, quorum salutari ministerio & opera conser-
uabit Verbum & Ecclesiam, si ea pro verbī puritate & extrusione
operatoriorum in messē, Dominum messis sedulo sit rogatura.

Scripta hac Epistola, deposuit pedum pastorale, & Christo Domino
clauēs Ecclesiæ, suæ fidei concreditās, restituit, & in vera inuocatione
Filij Dei spiritum suum Deo reddidit, cum vixisset annos LV. menses tres,
dies 17. & ingressus esset annum climactericum octauum. Instante
sepulturæ hora, Pancratiū Sussebachius, tum temporis Scholæ

Obitus Frid.
Myconij.

Scholæ Gothanæ Rector, conuocato cœtu scholastico, & aduentantibus Pastoribus vicinis, breuem habuit orationem, quæ nuper Epistolis Philippi ad Myconium est adiecta, Concionem funebrem habuit Iustus Menius, Pastor & Superintendens Isenacensis, quæ paulò post Vuitebergæ typis edita fuit. Iohannes Stigelius tumulum eius hoc Epitaphio ornauit: Ioh. Stigelius
us Poëta.

Quo duce Gotha tibi mōstrata est gratia Christi,

Hic pia Myconii contegit ossa lapis.

Doctrina & vita tibi moribus ille reliquit

Exemplum, hoc ingens Gotha tuere decus.

Et hætenus pinguiore quidē & crassiore Minerua delineaui curriculum vitæ & doctrinæ Myconij nostri, potissimum ob has causas: Primū, vt commonefacerem Ecclesiam de primo anno Iubilæo, quem hoc ipso aņo ingressi sumus ab obitu Lutheri & Myconij, quorum sanctissimi cineres in terram ante annos quinquaginta repositi, resurrectionem mortuorum latissimam, & omnium cœlestium bonorum plenariam restitutionem & possessionem expectant. Deinde, ne planē memoria viri tam sancti & excellentis obliteraretur, id quod sanctissimo Patriarchæ Iosepho vsu venissē scriptura tradit, quod anno quinquagesimo post eius discessum ex hac vita Rex nouus in Aegypto ortus sit, cui nec nomen nec beneficia Iosephi, quæ in Aegyptios contulerat, fuerint nota, sed alto silentio sepulta. Adeo vera est querela Pindarica: Exod. 1.
Pinda. 1st. hym. 7.
ἡμεῖς δὲ ἄποιοι, Antiqua sopita est gratia, immemores enim sunt mortales. Tum etiam, quod agnoscerem, æquum esse, vt tam præstantis viri beneficia & merita in Ecclesiam posteritati commendarentur, cum & ipse Myconius præcipuis

puis Ecclesiæ luminibus & columnis, cum quibus familiarissimè vixit, Luthero, Philippo, Bugenhagio, Crucigero, & alijs, iure sit accensendus. Vestrum nunc erit, Auditores spectatissimi, Deo gratias agere, quòd tam salutaria organa Ecclesiæ in his terris militanti dederit, & porro orare, vt in hoc senescenti mundo verbi puritatem conseruet, & salutare Doctoꝝ res largiatur.

D I X I.

IN ORATIONEM D. ANTONII

PROBI, DE FRIDERICO MYCONIO,

EPIGRAMMA.

QUod renouat Cineres PROBUS inuictiq; Lutheri
Myconijq; probi, Doctor & ipse probus:
Rem probitate sua dignam facit optimus Autor,
Carpserit hanc nunquam mens pietatis amans.
Immo laudârit, nam terris utilis, ipsis
Gratus & Astricolis est pius iste labor.
Certè sunt imitanda bonis exempla bonorum,
Præpositos nostros nos meminisse decet.
Estq; canenda Dei clementia summa, fideles
Doctores populo qui dedit vsq; suo.
Eminet hos inter lumen cumenq; LVTHERVS,
Magnanimus, zelo præditus, ore potens.
Iunxerat huic doctos bonitas diuina *σωτηρίας*
Multos, MYCONIVS de quibus vnus erat.
Plantârunt Cælum, fundârunt limina terræ,
Gaudet amans VERBI, lugeat osor iners.
Viribus attritis tandem, cursuq; peracto,
Terris exempti cœlica regna petunt.

Ille

Ille præit, sequitur post alter: namq; superstes
 Myconio non vis esse, Luthere, tuo.
 Annus ab hinc currit nunc quinquagesimus, isti
 Cum fatis ambo decubuerè suis,
 Annos tot placidè requiescit vterq;, tot annos
 Meq; meiq; pares cura laborq; premit.
 Idem me genuit, prius hos qui sustulit annus:
 Excipit hos risus, me dolor æger agit,
 Ante Dei vultus hi tollunt iubila pura:
 Hic ego sed lacrymis iubila mixta sono.
 Ut sint mixta tamen lacrymis mea iubila, spectant
 Laudes Christe tuas, sunt quoq; grata tibi.
 Da mihi, Christe, tuum nomen celebrare: Brabea
 Doctoriq; PROBO pro pietate refer.

Fridrichrodæ, 10. Augusti, Anno 1596.

M. Cyriacus Snegassius, Pastor: Superint.
 Vin. Adiunctus.

ODA SACRA.

AUTORE EODEM.

Immortalitatis Conciliatrix, Pietas.

*Non vis, non numerus, summaue dignitas:
 Non artes nec opes: sed PIETAS parit
 Laudes perpetuas: huius & illius
 Vitæ præmia consequens.*

12

Primi

Primi vana fuit gloria Seculi:
Turris, ludibrium, Vis Babylonica:
Vt laus Pyramidum marcuit? impia
Vt Gentis tumor aruit?
At sanctis Patribus, Regibus & piis
Cœlestiq; Viris numine concitis,
Mansit laus & honos: mansit Apostolis:
Mansit Christiadium gregi.
Lutheroq; manet: Myconio manet:
Et quis præterea Relligio fuit
Cura: sic PIETAS grata DEO, solet
Vel post funera viuere.
Ergo perpetua quem stimulat decus
Laudis: SACRA Dei meriti colat pia,
Seruans saluificum Dogma: quod vsq; sit
Gnomon tramitis unicus.
Seu viuens, DOMINO, seu moriens erit
Dilectus: nec eum postera nesciet
Ætas: fama volans vel super æthera,
Dignum laude vetat mori.

